



8
2728,36
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE

FVNDAMENTO
VSVRARVM
PECVNIAE
MVTVATICIAE

QVAM
INDVLTV INCLYTAE FACVLTATIS IVRIDICAE
IN

REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

DN. IVSTO HENNINGIO
BÖHMERO ICTO

POTENTISS. REG. BORVSS. A CONSILIIIS IN-
TIMIS PROF. IVR. ORDIN.

PATRONO AC FAVTORI SVO OMNI ANIMI SVBMISSIONE
COLENDO

PRO GRADV DOCTORALI

D. XXVI. AVGVST. MDCCXXVIII.

H. L. Q. C.

ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

HERM. BERNHARD. WOLFFRADT,

SVNDENSIS POMERAN.

HALAE MAGDEBVRGICAE, STANNO GRVNERTIANO.

1731

DISSERTATIO IN AVGVRAVIS IVRIBVS
 DE
 FVNDAMENTO
 VSVRARVM
 PECVNIAE
 MVTVATICIAE
 INDVLTVA INCVLTAE FACVLTATIS IVRIDICAE
 IN
 REGIA ERIDVICIANA
 UNIVERSITATE
 DV IVSTO HENNINGIO
 COBÖHMERO POFICOR
 POTENTISSIMO REG. BORVS. A. CONSILIS IN
 TIVS PROP. IVR. ORDIN.
 PATRONO AC PAVTOR. SVO OMNI ANIMI ZELATIONE
 COORDO
 PRO GRADU DOCTORALI
 D. XXV. FEBRU. MDCCLXVII.
 ERADIVTOR M. EXAMINI SVBMITTIT
 HERM. BERNHARD. WOLFFRADT.
 SANNIENSIS POMERAN.
 HAEAE MAGDEBVRGICAE CIVITATIS GRVNERIANO
 SEN.



V I R O
G E N E R O S O , M A G N I F I C O
A T Q V E A M P L I S S I M O
D O M I N O
H E R M A N N O
B E R E N H A R D O
V V O L F F R A D T O
C O N S I L I A R I O C O N S V L I Q V E
C I V I T A T I S S V N D .

P A T R I S V O
O M N I O B E D I E N T I A F I L I A L I
P R O S E Q V E N D O

OB
AMOREM PLANE SINGVLAREM
AFFECTVM VERE PATERNVM
MERITA INFINITA

HOC

QVALECVNQVE OBSEQVII AC FILIALIS OBSERVANTIAE
MONVMENTVM

HASQVE

STVDIORVM ACADEMICORVM
PRIMITIAS

INTER ARDENTISSIMA VOTA

PRO PERPETVA IPSIVS INCOLVMITATE
ATQVE SALVTE OMNIGENA
SVSCEPTA

PIETATIS ET OBSERVANTIAE ERGO

D. D. D.

FILIVS OBSEQVENTISSIMVS



DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE
FVNDAMENTO
VSVRARVM
PECVNIAE MVTVATICIAE.

§. I.



IACITVS *de moribus Ger-* Germanis
man. antiquos Germanos in hoc a antiquis
Romanis inter alia distinguit, quod vsurae igno-
Romanis *fœnus* exercere, vsuras-
que ex pecuniis aliisque rebus
fungibilibus exigere & stipulari,
in more positum; Germanis au-
tem tale commercium vsurarium

prorsus ignotum, imo odio habitum fuerit. Ait: *Fœnus
agitare & in vsuras extendere ignotum, ideoque magis a-
uersantur, (vulg. lectio habet erronee seruator) quam se-
veritum esset.* Nummorum studio & cupiditate non ar-
debant, quorum vsu plerique abstinebant, *simplicius &
anti-*

A

antiquius permutatione vtentes, nisi quod Romanis pro-
ximi ob vsum commerciorum aurum & argentum in pretio
habere, & formas quasdam pecunie Romanæ agnoscere at-
que eligere cæperint, EODEM teste; qui & haec subiungit:
pecuniam probant veterem & olim notam, serratos bigatos-
que, quorum nummorum meminit PLINIVS lib. XXXIII. c.
14. n. 4. & illustrationem subiungit IO. HARDVINVS in not.
ibidem. In hac simplicitate non diu substituerunt, post-
quam Rhenum Danubiumque accolentes quotidiano vsu
moribus Romanorum infecti sunt, qui pedetentim et-
iam reliquos Germaniæ populos a prisco vsu viuendi
deduxerunt, adeo vt de illis HERODIANVS lib. VI. iam suo
aëo scripserit: *Sunt Germani pecunie admodum auidi,*
semperque Romanis pacem venalem habent. His moribus
iam ab antiquo vixerunt Romani, & eisdem imbuerunt
viciniores Germanos, vt cupiditas habendorum num-
morum atque augendorum tandem quoque *vsuras & fenus*
admisit. Sed ecce, noua rursus metamorphosis visa &
audita. Quod veteres Romani gentiles in pretio habue-
runt, id damnatum ab ordine sacro, imprimis pontifice
Romano, qui omnem *vsurarum* vsum per edicta, decreta
& fulmina ecclesiastica eliminare atque proferibere stu-
dit, ipsi decretalibus testibus. Germani rursus haec Roma-
norum scita parcius admiserunt, & odorem vsurarum,
quo diu imbuti erant, vt plurimum conseruarunt, vt
tot fulmina ex Vaticano emissa eas tollere atque abolere
haud potuerint. Denique legibus tum *particularibus* tum
vniverſalibus quoque praxis haec confirmata, præsertim
postquam ius Romanum per totam Germaniam in obser-
uantiam deduci, & in *ius* quoddam *commune* abire cœ-
pit. Atque hoc iure quoque adhuc viuimus & quam-
uis *vsurarum* latissimus sit ambitus, vt per omnes contra-
ctus sese diffundat, primario tamen illæ in *pecunia mu-
tuariia* sese exserunt, & quotidianum vsum habent.
Hæc ratio me quoque induxit, vt de *vsuris pecunie mu-
tua-*

ex commer-
cio cum Ro-
manis vsuras
tandem rece-
perunt.

a clero paulo
post interdi-
ctos

rursus in
contrarium
euntibus Ger-
manis

transitus ad

uaticiae praesenti dissertatione inaugurali agere constitue-
rim, praesertim cum deprehenderim, in hoc themate
ius Romanum variis difficultatibus expositum, ius canoni-
cum praedictis erroneis infectum, legesque Germaniae
vniuersales & particulares nouis additamentis auctas
fuisse. Inter has praecipue iuris Lubecensis scita enarra-
bo ac explicabo, atque secundum hoc ius triplex hanc
doctrinam excutiam, vt, quoniam hoc ius triplex in acade-
miis tradi solet, animi mei vires quoque in eo experia-

§. II. Facile autem datur intelligi, me de *usurâ* Primarius
usurarum
vslus in pecu-
nia mutuati-
cia,
cuius deno-
minatio tra-
ditur.
pecuniae mutuatiae vel ideo hic tantum sollicitum esse,
quod commercio usurarum in ea primario locus sit. Di-
citur autem *pecunia mutuatia*, quae a debitore ex mu-
tuo debetur, sicuti *mutuatia* illa ipsa est, quam creditor
mutuo dedit. Ait GELLIVS *lib. XX. c. 1. p. m. 669.* hanc au-
tem fidem maiores nostri non modo in officiorum vicibus, sed
in negotiorum quoque contractibus sanxerunt, maxime in
PECVNIAE MUTVATICAE vsu atque commercio. adimi enim pu-
tarunt subsidium hoc inopiae temporariae, quo communis o-
mnium vita indiget, si perfidia debitorum sine graui pena
eluderet. Sicuti vero passim *usurâ* quoque *foenoris* no-
mine veniunt, in iure (quamuis strictius ab eis differant,
docente SALMASIO *de usur. c. 11. p. 23. seqq.*) ita eodem sen-
su *foeneraticae cautionis* fit mentio in *l. 25. C. de administ. tut.*
& *l. 11. §. 2. C. de non numerat. pecun.* secundum codices pro-
batos, quemadmodum etiam *foeneraticae cautiones* & instru-
menta *foeneraticia* memorantur in *l. f. C. de pact. conuent.*
l. f. C. de non numerat. pecun. l. 14. C. de contr. & committ.
l. f. C. de non numerat. pecun. l. 14. §. 2. C. de non numerat. pecun. ex quibus vel cre-
ditor *usuras* petit, vel debitor soluit. Porro mutuum
quidem non tantum in *pecunia* contrahitur, sed ad quas-
cunque res *fungibiles* porrigitur, & ita quoque ex his *vsu-*
râ peti possunt iuxta *l. 12. l. 23. l. 25. C. de usur. Nou. 84.*
conf. ANTON. CONTIVS *lib. II. lection. subseciuar. c. 2.* Sed
cum usurarum commercium parcius in his sese exerat,

definitio
vsurarum
pecuniae mu-
tuaticae,

folius pecuniae mutuaticae rationem habeo. Est itaque *usura pecuniae mutuaticae* nihil aliud, quam *accessio* (vt vocatur in *l. 12. C. de usur.*) vel *merces pro usu pecuniae mutuo datae ex iusta causa debita*. Equidem *merces* proprie loquendo pro rerum non fungibilium usu praestatur; nihil tamen impedit, quo minus id, quod pro usu pecuniae creditae datur, & quae in genere restituitur, *merces* dici queat, quia id agitur in *vsurarum* praestatione, ne usus pecuniae sit *gratuitus*, sed *praestatione* quadam *pecuniaria*, in qua proprie dicta *merces* consistit, compensetur, adeoque in *l. 58. §. 6. ad sc. Trebell. fructus usurae & mercedes praediorum* equiparantur, & in *§. 6. cit. l.* additur, *sortium vsuras propter usum earum* percipi. Qui

definitio Ca-
nonistarum
reprobatur.

cum canonistis faciunt, illas tradunt esse *lucrum supra sortem exactum tantum propter officium mutuationis*, in qua definitione duplex error est, tum ratione *generis*, tum ratione *finis*. Equidem adlatum genus vel ideo eligunt, vt causae suae, quam defendunt, seruiant, de quo infra. Illud vero recte reprobatur SALMASIVS *cit. l. c. s. p. 95. Lucrum* proprie loquendo in eo non est, quod ob *compensationem usus* vel *rei* soluitur, adeoque *mercedem* qui capit, *lucrum* facere non dicitur, cum potius *equipollens* pro usu rei accipiat, qui aequae compensari potest per *equipollens*, vt caeterae res quaecunque. Quemadmodum vero illi, qui res suas permutant, qui *pretium iustum* pro re accipiunt, *lucrum* non accipiunt, sed rem suam cum re alterius commutant, nisi ultra *iustum valorem rei* quid forsan ceperint; ita pariter qui vsuras pro usu pecuniae probatas accipit, *lucrum* non percipit; sed id quod pro *compensatione usus* debetur, nisi modum legitimum vsurarum excesserit, quippe quod mero lucro accensendum, quia modum compensandi lege determinatum excedit. Recte omnino. SALMASIVS *cit. l. p. 96. Locatur pecunia, quae fenore datur, non alio modo quam edes aut ager aut opera. pro quibus merces exigitur ab his, qui*

vsurae non
sunt lucrum,

qui ea conduserunt. In sensu grammatico non iuridico hæc accipienda esse palam est, cum constet, in sensu iuris proprie res fungibiles non locari. Analogia tamen & paritas quædam adest inter usum rei non-fungibilis locatum, & usum pecunie concessum pro usura, quæ eam denominationem sensu forensi obtinuit, quod pro usu pecunie solui debeat. Conf. NOODT de usur. & fenor. lib. I. c. 2. Præterea etiam in fine errant. Quis enim vnquam, ait CAROLVS MOLINAEVS de commerc. & usur. q. 2. n. 75. propter ipsum mutuationis officium duntaxat usuram stipulatus est? & non in compensationem vel damni incurrendi vel utilitatis cessaturæ, vel participationem lucri, quod facturus est debitor? Eadem absurditate dicere posses, mercedem in locatione accipi propter officium concessionis usus rei, & non in compensationem usus.

of bona hinc
vifura non
datur pro ok
ficio mutua-
tionis.

§. III. Hisce prælibatis, fundamentum soluendarum usurarum pecunie mutuatice ex iure civili tradendum atque eruendum. Vulgarum est, usuras pecunie mutuatice non deberi, nisi stipulatione peculiariter promissæ fuerint. Id loquuntur leges Romanæ: idem pariter reguntur ICI interpretes. PAPINIANVS in l. 21. de. V. S. ita iuris ciuilis sensum exprimit: usura pecunie, quam percipimus in fructu non est: quia non ex ipso corpore, sed ex alia causa est, i. e. noua obligatione. Fructus quidem ex terra nascuntur, & hoc intuitu naturales dicuntur; non item usuræ, quæ ex pecunia non nascuntur, sed deberi dicuntur ex peculiari & noua obligatione. Erat hæc obligatio vel stipulatio vel pactum. Huius nulla iure Romano efficacia, ad petendum id, quod promissum erat; prode- rat tamen ad exceptionem producendam, adeoque usuræ solo pacto debitæ peti non poterant. Stipulatio interposita efficax producebat ius ad petendas usuras, cuius in hac materia vt plurimum iniicitur mentio. In l. 1. C. de usur. ANTONINVS PIVS edixit: Si interrogatione precedente promissio usurarum recte facta probetur, optimo iure

Fundamen-
tum harum
usurarum,
de iure Ro-
mano in sti-
pulatione
quærendum,

non in pacto,

deben-



debetur. Quod optimo iure debetur, efficaciter peti potest. SEVERVS & ANTONINVS in l. 3. C. eod. plenius vniuersam exhauriunt causam, aientes: *Quamuis vsuræ sen- bris pecunie citra vinculum stipulationis peti non possint* (non ex pacto debitæ) tamen ex pacti conuentione solute neque ut indebitæ repetuntur, neque in sortem acceptæ ferendæ sunt. Possunt ergo ex pacto retineri, & per exceptionem seruari vsuræ, quod condicenti obstat receptio retentionis, ideo concessa, quod naturale debitum ad indebita referri nequeat: quo posito, nec in sortem imputari queunt. Hac de causa quoque iidem imperatores hanc doctrinam in l. 4. C. de vsur. nouo illustrent exemplo: *per retentionem pignoris vsuras seruari posse, de quibus prestandis conuenit, licet stipulatio interposita non sit, merito constitutum est, & rationem habet: cum pignora conuentione pacti etiam vsuris obstricta sint.* Duplex decidendi ratio in hac decisione occurrere videtur: 1) quod per exceptionem retentionis seruari queant, ad quam producendam iure prætorio efficax pactum erat: 2) quod conuentio de vsuris in continenti pignori eiusque traditioni adiecta insit contractui pignoratitio, opereturque, ut pignora quoque vsuris obstricta sint l. 48. de pact. An ergo etiam numerationi pecunie mutuaticie in continenti adiecta conuentio de vsuris idem præstat? Negandum hoc videtur, quod AFRICANVS in l. 24. de præsc. verb. generaliter hanc tradat regulam: *pecunie credite vsuras, nisi in stipulationem deductas, non deberi.* Id præterea inde quoque liquet, quod tantum certi casus paulo post tradendi excepti fuerint iure singulari, in quibus etiam ex pacto debitæ fuerunt vsuræ pecunie mutuaticie, quæ exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. Huc denique redire videtur sensus l. 7. C. de vsur. *Creditor instrumentis suis probare debet, que intendit, & vsuras se stipulatum, si potest; Non enim si aliquando* (h. e. per tractum quandam temporis) *ex consensu* (seu nuda conuentione numerationi adie-

nisi quod fo-
luta condici
haud potue-
runt,

& pignus ea-
rum nomine
retineri
queat,

Ast pactum
de vsuris nu-
merationi
adiectum in-
efficax erat.

adiecta) *prestite sunt, obligationem constituunt, talem sci-*
licet, vt in futurum quoque peti queant. Dicebantur
ea de causa indebitæ, sicuti stipulatione promissæ debite,
ex sententia VLPiani in l. 5. §. 2. de solut. docentis: id
quod soluitur in vsuras, ad viramque causam vsurarum
tam debitarum quam indebitarum pertinet, puta: quædam ex
stipulatione, quædam ex pacto naturaliter debebantur. Quæ
ergo ex pacto debentur, naturaliter tantum deberi dicun-
tur: quæ ex stipulatu, ciuilitè, & maiorem habent effi-
caciam. Eiusdem sententiæ quoque PAVLVS lib. II. sent.
tit. 14. §. 1. fuit: Si pactum nudum de prestandis vsuris inter-
positum sit, nullius est momenti: ex nudo enim pacto inter ci-
ues Romanos actio non nascitur.

§. IV. Satis, ni fallor, liquet, *pecuniæ mutuatice* In aliis nego-
vsuras non aliter iure Romano fuisse debitas, quam sti- tiis vsuræ et-
pulatione promissas, adeo vt pactum haud sufficeret. Nec iam debentur
 aliud videtur admissum fundamentum. In negotiis *bonæ* tur citra con-
fidei alias citra stipulationem etiam ex mora sola debentur uentionem
vsuræ, officio iudicis. l. 17. §. 4. de vsur. l. 32. §. 2. l. 34. eod. officio iudi-
l. 54. locat. Notum enim est, in bonæ fidei iudicis tantum- cis,
dem valere officium, quantum in stipulatione nominatim eius
rei facta interrogatio. l. 7. de negot. gest. Vnde in his du-
plex constituendum fundamentum: 1) expressa conuentio
de vsuris, 2) officium iudicis, quo, æquitate suadente, vsu-
ræ etiam non promissæ adiudicari possunt. Aequitas
vero rursus ad duo capita reduci potest: a) si debitor in vel ob mo-
mora est: l. 49. §. 1. de act. emt. vendit. b) si extra moram ram vel ob
alias mea pecunia alter vsus est, quem gratis ei concede- vsum,
re non teneor, sed in eius compensationem vsuras exi-
go. Vsuræ enim ait VLPianVS l. 34. de vsur. vicem fructu-
um obinent, & merito non debent a fructibus separari, &
ita in legatis & fideicommissis & in tutela actione & in cæ-
teris bonæ fidei iudiciis seruatur; quo ex fundamento de-
bitæ sunt vsuræ pretii, fide etiam de eo habita l. 13. §. 20.
de act. emt. vendit. Atque hoc demum constitutionibus
 princi-

non in mu-
tuo,

Quod sit
stricti iuris,

principum inductum videtur, si credimus PAPIANO in l. 24. de pos. est quidem constitutum, in bonæ fidei iudiciis, quod ad vsuras attinet, ut tantundem possit officium arbitri, quantum stipulatio. Quid vero est, quod in vsuris pecuniæ mutuatitiæ non idem præstet officium iudicis, ac quidem stipulatio?

§. V. Qui rationem diuersitatis ostendere conatur, ut plurimum docent, mutuum esse contractum stricti iuris, non bonæ fidei iudiciis accensendum, adeoque quicquid in his admissum, ad mutuum seu pecuniam mutuatitiæ trahi non potest; in negotiis stricti iuris autem nihil deberi, nisi quod expresse verbis & ore nuncupatum; ideo autem stricti iuris esse quod unilateralem habeat præstationem, & nunquam auditum in iure civili fuerit, ut talia negotia b. f. dici queant. Ita censet NOODT ad tit. de reb. credit. aitque, mutuum ideo esse contractum stricti iuris, quod ab vno latere sit obligatorius, qualis nusquam, ut addit, vocatur bonæ fidei. Inde vero duo colligit: primum est, ne quidem pactum de vsuris solvendis mutuo inesse, idque SEVERVM & ANTONINVM in l. 3. C. de vsur. indigitare, quia pacta, ait, etiam in continenti adiecta contractui stricti iuris, cum eum augent, ei non insunt, neque actionem formant: licet si detrahunt, fere hoc iure vitamur aduersus iuris regulas, ut ex parte rei insint, & ideo actionem ipso iure tollunt, prout ex l. 40. de rebus credit. declarat. vid. tract. de fenor. & vsur. lib. III. c. 1. Alterum est, quod ne quidem ex mora debeantur vsuræ officio iudicis, quod tradit, ad tit. de reb. cred. in f. aitque: Sed quid si mora accusetur? adhuc idem ius est: angusta iudicis potestate, utique, si nihil de vsuris pactum. Imo & si sit: nam ne sic quidem debentur, quia pactum, quamuis in continenti adiectum contractui stricti iuris, cum eum auget, ei non inest. Quid ergo est? solum debentur ex mutuo vsuræ, si sint stipulatione præmissæ; nec iam mutuum, sed fenus appellatur. Eandem cantilenam ingeminant DOMINI-
CVS

CVS AVLISIVS *ad tit. de verb. oblig. pag. 277.* vbi prouocat ad AFRICANI sententiam supra relatam in *l. Titius 24. D. de præscript. verb.* additque: *cur ita: nempe quia sumus in pecunia credita, i. e. in mutuo, qui est contractus stricti iuris, & pactum de usuris nequit creditori tribuere actionem, vt ipse tibi præsentur, quare pactum illud, licet in continenti adiectum, nihil operatur, non inest.* Ita censent docentque alii plerique iuris interpretes, qui pro indubitabili principio assumunt, mutuuum esse contractum *stricti iuris*, præsertim cum eius non faciat mentionem IUSTINIANVS in §. 28. *inst. de action.* inter negotia *bonæ fidei*, quæ tamen *οὐκ ἐστὶν αὐτῶν* ibidem relata fuisse videntur. Accedit, quod vbi mutua pecunia sic data fuerit, vt certo loco redderetur, *arbitraria actio de eo quod certo loco* moueri debeat, si alibi pecunia petitur; *l. 6. de eo quod certo loco*, quod necesse haud fuisset, si mutuuum *bonæ fidei* negotiis accenferi deberet, vt PAVLVS obseruat in *l. 7. eodem.*

§. VI. Atque hanc quidem diuersitatis rationem Haec sententia tamen
suppeditant traduntque iuris Romani interpretes: non item ipsi ICTI Romani, a quibus mutuuum inter negotia *bonæ fidei*
stricti iuris nullibi disertis verbis relatam est. Illi autem *bonæ fidei*
vel ideo hoc statuendum esse docuerunt, vt difficultatibus adductis satisfacere, scopulosque superarent. Enimvero haud est necesse, in has se conferre angustias, & contra naturam rei quid assumere, quod maioribus adhuc nodis inuolutum est. Ideo etiam antequam ad alia *bonæ fidei*
progrediar, duo euincam: primum est, mutuuum re vera esse *bonæ fidei* negotiis annumerandum: secundum, nihilominus tamen decisiones de *usuris pecunie mutuatice* aliaque, hac thesi salua, de iure Romano tutas verasque aliunde tamen rationes petendas esse. Primum membrum quid negotia
quod concernit, conclamatam est, illa negotia dici *bonæ fidei*, in quibus non tantum obligamur ad id, quod *bonæ fidei*, in quibus non tantum obligamur ad id, quod *bonæ fidei*
disertis verbis expressum atque ore inter partes nuncupatum, sed quod præterea *æquum & bonum* est, cum *bonæ*

quid stricti
iuris?

ciuiles con-
tractus erant
stricti iuris,

quod illu-
stratur

bonæ fidei appellatio *summam æquitatem* denotet, *l. 31. de-
positi.* & *iuri stricto* opponatur. Sicuti autem *ius strictum*,
durum, & *asperum*, potissimum inde nascitur, si tantum
verbis inhæremus, parum de eo solliciti, quid recta sua-
deat ratio; ita negotia *stricti iuris* dicta fuerunt, in qui-
bus, quod nec verbis expressum, nec litteris consignatum,
minime attenditur, nec in obligationem deductum cen-
setur, sed potius pro omisso habendum. *l. 99. de V. oblig.*
Obseruauit autem Dn. PRAESES *tr. de action. sect. I. c. 3. §.*
20. seqq. contractus & obligationes fuisse vel *naturales*
seu *iuris gentium*, uti vocantur in *l. 7. pr. de pact.* quod om-
nibus gentibus essent communes & in commerciorum
vsu quotidiano positi: vel *ciuiles*, Romanis proprii, &
solemnitate verborum aut scripturæ concepti, iuxta *l. 5.
de I. & I.* eodem fere modo, quo quædam *naturaliter*,
quædam *ciuilitè* acquiri dicuntur in *l. 53. de acquir. rer.
dom.* quæ res satis decantata est, ut nulla declaratione in-
digeat. De eo non dubium est, quin *ciuiles contractus*
stricti iuris sint, ut stipulationes, contractusque littera-
rum, quod omnes concedunt, & quidem non alia de
causa, quam quod in stipulatione, ex *verborum concep-
tione* nasceretur obligatio immediate & proxime, & ita huius
solius ratio habenda esset *l. 99. de V. oblig.* quod aperte fa-
retur PAVLVS in *l. 126. §. 2. in f. de V. O. in stipulationibus* VER-
BA, EX QUIBUS OBLIGATIO ORITUR, *inspicienda sunt.* Eodem
modo rationes ducebant Romani in *litterarum obligatione*,
in qua fundamentum proximum obligandi quærebant in
litteris, ut quod scriptum non esset, partem obligationis
haud constitueret, ut vel maxime, id quod omis-
sum, bonum æquumue esset. *Dolo* deceptus in his negotiis,
nihilominus in nexu erat, si de *dolo* haud committendo
nihil actum fuisset, ut recta ratio doceat, neminem ob-
ligari, qui *dolo* deceptus fuerit, vel *metu* inductus, vel
errore lapsus; qua de causa ex *æquitate* in stipulationibus
prætor postea dedit *exceptionem doli*, *metus* vel *erroris*,
seu

feu in factum, quæ naturæ ipsius obligationis, a Romanis specialiter efformatæ, non inerat. Id clare demonstrat IMPERATOR in §. 1. *inst. de except. Si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapsus, stipulanti Titio promissisti, quod non debueras promittere,* (nec tamen aliquid de dolo, metu, aut errore, in ea stipulatione cautum) *palam est, iure civili te obligatum esse, & actio qua intenditur, dare te oportere, efficax est.* De stipulatione hic agitur, quæ *stricti iuris* est, quæ ne quidem *iure civili*, seu *ex sententia Ictorum antiqua & forensi*, vsu approbata, in se comprehendebat, quod summa æquitas postulabat. Si *interpretationi ex æquitate* hic locus fuisset, sine dubio verba stipulationis ita declaranda & accipienda fuissent, vt deceptus, coactus & errore lapsus, haud obligari deberet, æque vt in *bonæ fidei* iudiciis. At verborum conceptio id non permittebat in stipulatione; permittebat vero in *emtionem venditione*, quæ *consensu* solo, etiam inter absentes, contrahatur, non formula quadam; licet quandoque Icti in scriptis *formulam* quadam (nullis tamen adstrictam verborum solennitatibus,) huius contractus conciperent, quod erat indifferens, vt tamen ipsa obligatio haud alteraretur. Aliud enim erat *ex certa verborum conceptione* semet obligare, quod fiebat in *stipulatione*: aliud ex *solo consensu*, quod in emtionem, in qua nulla desiderabatur verborum conceptio, §. *vn. inst. de oblig. ex consens.* contingit, & si quid in ea scriptum est, solius *probationis* non *obligationis inducendæ* causa factum, adeoque inde non æstimanda vis obligandi.

§. VII. Id ergo tantum in quæstione est, an dentur obligationes *iuris gentium* seu *naturales* stricti iuris, naturales non possunt esse stricti iuris. feu quæ non admittunt præstationes *ex æquitate*, vel *ex æquo & bono*, quatenus id natura eius admittit, si hæc verbis haud sint determinatæ? Id vero puto, admodum contradictorium esse, & naturæ negotiorum, quæ secundum *ius gentium* vnice æstimantur, prorsus aduersari. Hanc
B 2
assum;

assumerunt Romani ex *usu gentium* communi, eamque iuxta *naturæ & rectam rationem* vnice æstimarunt. Constat vero ex recta ratione, in omnibus negotiis quædam *expresse* determinari: quædam *tacite* subintelligi, quatenus natura contractus non repugnat, quia contrahentes sese in omne id obstrinxisse videntur, quod *bonum, æquum*, atque *rationabile* est. Hac de causa contractus iuris gentium *naturalem præstationem* habere, & *ex bona fide* descendere dicuntur in *l. 7. de cap. minut. l. 57. in f. de cont. emt. vend.* Itaque de *dote actio in bonum & æquum* concepta fuisse dicitur, quod *rei uxorie actione* capiendum. Hæc erat *bonæ fidei*, quia ex *ipso matrimonio* fluebat, & in eo fundata, quod eius intuitu data esset, & quia matrimonium negotium *naturalissimum & iuris gentium* erat, non poterat non actio *in bonum & æquum* concipi. Idque indigitare videtur ICtus in *l. 31. D. depof.* ubi ita: *bona fides, que in contractibus exigitur, æquitatem summam desiderat*, id quod de contractibus iuris gentium *ex substrata materia*, de qua agit ICtus, accipiendum, quia hæc regula in negotiis *stricti iuris* palam exulat. Quod si enim eius in his usus fuisset, qui fieri potuisset, ut *dolo* deceptus & *metu* coactus obligatus dicens esset, cum *summa æquitas* his aduerferet? *l. 16. de R. I.* Atque ita planum est, ideo hæc negotia dici *bonæ fidei*, quod ex solo *iure gentium & naturali* æstimanda sint. Quocirca rem minime exhauriunt, quia *obligationem bilateralem* vnice confugiunt, & inde fundamentum huius qualitatis petunt, quod facile *ex conditionibus* strui potest, ut paulo post ostendam.

quod in cit.
l. 7. cit. iilu-
stratur.

zuberino)
Applicantur
dicta ad mu-
tuum,
& per ratio-
nes ostendi-
tur, illud b. f.
esse,

§. VIII. Ad *mutuum* speciatim progredior, cuius gratia adducta præmissa sunt, quod iuxta propriam suam indolem *bonæ fidei* existimandum est. Etenim palam est, hunc contractum esse *iuris gentium*, & sic quoque ex eo æstimandum. Id indigitat IMPERATOR in §. 2. *l. de l. N. G. & civil.* aitque: *ex hoc iure gentium omnes pene contractus*

tractus introducti sunt, ut emtio & venditio, locatio & con-
ductio, societas, depositum, MUTVVM, & alii innumerabiles.
Id pariter obseruat PAVLVVS in l. 126. §. 2. de V. obl., vbi ob-
ligationem mutui vocat *naturalem* in oppositione stipula-
tionis, quæ ibidem occurrit, quæ est *ciuilis* ratione cau-
sæ efficientis, & *stricti iuris*. 2) In mutuo non præcise ad
verba & quod scriptura expressum, respiciendum, sed
quod *recta ratio*, seu *bonum & æquum* postulat. Id de-
clarat POMPONIVS in l. 3. de rebus cred. cum quid mutuum
dederimus, etsi non CAVIMVS, ut æque bonum nobis reddere-
tur; non licet debitori deterio-rem rem, quæ ex eodem gene-
re sit, reddere: veluti vinum nouum pro vetere; nam in
contrahendo, quod agitur, pro CAVTO habendum est: id au-
tem agi intelligitur, ut eiusdem generis & eadem bonitate
soluatur, qua datum est. Cur vero id tacite actum intel-
ligitur? quia contra *bonum & æquum* ageret debitor, si
rem deterio-rem redderet, quod *recta ratio* non permit-
tit. Pariter in negotiis b. f. id actum in genere intelli-
gitur, ne alter alterum decipiat, sed bona fide agat, adeo-
que etiam *cautum* intelligi debet, qua philosophia tamen
non vtimur in negotiis stricti iuris. 3) Hac de causa
quoque compensatio ipso iure locum habebat in mutuo atque com-
pensationem
ex eo tempore, ex quo ab utraque parte debetur, quoad con-
currentes quantitates; l. 4. & 21. D. & l. 4. C. de compens. admisit ipso
iure,
quod iudiciis bonæ fidei proprium erat, non item *stricti*
iuris, ut obseruat IUSTINIANVS in §. 30. l. de action. Diuus MAR-
CVS enim in his compensationem induxisse, h. e. nouiter
admisisse dicitur, *opposita doli mali exceptione*, quo ius no-
uum indigitat, iuris veteris correctorium. Neque vero
ex vilo indicio apparet, antè D. MARCVM in negotiis stri- non etiam
ante D. Mar-
cii constitu-
tionem,
Nec Neratius
olim in di-
uerfa fuit
sententia.
cti iuris compensationem ipso iure admissam fuisse, quod
ratio negotiorum horum non patiebatur. Nec qui hanc
sententiam NERATIO PRISCO, qui sub TRAIANO vixit, tri-
buunt, aliquod præsidium habent in l. 4. de compens. Non
agit NERATIUS in cit. l. 4. de ea quæstione: an in omni con-
tractu,

tractu, etiam *stricti iuris*, compensatio *ipso iure* tollat debitum? sed potius de *fideiussore* format quaestionem: vtrum hic quoque in omnibus contractibus, in quibus ipso iure debitor liberatur, ipso iure liberatus dicendus sit? Ita enim PAVLVVS: *Verum est, quod & Neratio placebat, & Pomponius ait, ipso iure eo minus fideiussorem ex omni contractu debere, quod ex compensatione reus retinere potest; sicut enim cum totum a reo peto, male peto, ita & fideiussor non tenetur ipso iure in maiorem quantitatem, quam reus condemnari potest.* Palam est & extra omnem controversiam, Ictum hic non designare & determinare contractus, in quibus ipso iure debitum per compensationem tollitur, sed id vnice intendere, compensationem debitoris quoque prodesse fideiussori, vt ex omni contractu, in quo ipso iure a parte debitoris sublatum est debitum, ipso iure quoque fideiussor censi debeat liberatus; id quod rationem habet, quia fideiussio erat *obligatio accessoria*, quae subsistere non poterat sublato principali. Equidem etiam *fideiussio*, stipulatione concepta, *stricti iuris* erat, in qua tamen ex sententia Neratii admittitur compensatio. Verum *proprie & principaliter* compensatio id debitum, quo reus obstrictus erat, ipso iure tollit; quia inter eos, *proprie est compensatio*, inter quos mutuuum est debitum & creditum, *l. i. de compens.* hoc est, inter *creditorem & debitorem principalem*: huius debitum *proprie ipso iure & per iuris civilis dispositionem* sublatum, extinctumque erat: quo facto, non poterat non quoque per consequentiam extingui fideiussio, sicuti cum *solutum* erat debitum, *solutio* proderat fideiussori. Vnde fatis notanter *compensatio* tribuitur debitori in his verbis: *ipso iure eo minus fideiussorem ex omni contractu debere, quod ex compensatione reus retinere potest.* In *stricti iuris* negotiis, ex quibus *principaliter* reus quid debebat, compensatio vel ideo locum non habebat, quod de ea nihil actum cautumque esset, quod tamen correxit

MAR^a

MARCVS ANTONINVS, nouumque ius introduxit, vt compensatio non quidem *ipso iure* tolleretur debitum *stricti iuris*, sed demum *ope exceptionis*. Quod si NERATIO diuersa placuisset sententia, PAVLVVS assentientem non habuisset, qui rescripti D. MARCI memor, quo ius *certum & liquidum* iam constitutum erat, in sententiam reprobam & *rescripto imperiali* aliter decisam, non transire, aut statuere potuisset, in *contractibus stricti iuris ipso iure* debitum sublatum censeret. Neque credendum est, ALEXANDRYM, cuius æuo PAVLVVS vixit, huius sententiæ assertorem fuisse, in l. 4. & 6. C. de compens., qui in mutuo compensationem *ipso iure* fieri recte censuit, quod hoc negotium b. f. esset, quamuis SCHVLTING. ad sent. Pauli lib. 2. tit. 5. §. 3. qui mutuum *stricti iuris* fuisse statuit, id ideo factum fuisse asserat, quod eo tempore in negotiis *stricti iuris* compensatio *ipso iure* facta sit, quod præconceptæ eius opinioni, de *qualitate mutui*, attribuendum. IVSTINIANVS demum nouum hunc effectum compensationibus in *negotiis stricti iuris* dedit, non vero ius iam in foro vsitatum tantum declarauit, vt scilicet *ipso iure* tollerent, vel minuerent debita, quod eius verba indicant in cit. §. 30. Sed nostra *constitutio easdem compensationes, quæ iure aperto nituntur, latius introduxit* &c. conf. l. fin. C. de compens. Vnde facile liquet, quæ ratione PAVLVVS cit. l. in mutuo simpliciter admittere potuerit compensationem, vt *ipso iure* tolleretur debitum, hac adiecta clausula: *Sitorum petas, plus petendo causa cadit*. In negotiis *stricti iuris* id fieri non poterat, in quibus tantum exceptione *doli* opposita compensatio inducebatur, adeoque *stricto iure* plus non petebat, licet per modum *exceptionis* compensatio admitteretur, adeoque eo tempore, poena plus petitionis cessare debuit. 4) Neque ab hac sententia alienus videtur CICERO lib. III. of. Scæuola fidei bonæ nomen existimabat mafic. c. 17. aiens: *Scæuola fidei bonæ nomen existimabat manare LATISSIME, idque versari in tutelis, societariis, fiduciis, mandatis, rebus emtis, venditis, conductis, locatis, quibus*

Declaratur
id vltterius
sententia Ci-
ceronis,

bus vitæ societas continetur. Non omnes SCAEVOLA recensuit species contractuum b. f., sed quasdam tantum adduxit; indigitavit tamen, eos huc referendos esse, qui sunt *iuris gentium*, quippe in quibus *vita societas* continetur, quæ imprimis ad *æquum & bonum* debet esse composita. Eorum numero quoque est *mutuum*, quo *communis omnium vita indiget*, vt ait GELLIUS *lib. XX. c. 1. pag. 669.* & quod nulla ratione a ceteris *iuris gentium* contractibus secerni potest, adeoque in eo quoque *bonæ fidei* nomen versari debet. 5) Addo & hoc, *conditionem indebiti* instar *mutui* censeri, quatenus res fungibilis indebite soluta, vt docet IMPERATOR in §. 1. *I. quibus mod. re cont. oblig.* Hæc vero conditio *ex bono & æquo* introducta esse dicitur in *l. 66. de condict. indeb.* & æque *naturalis* est iuxta *l. 15. eod. vti mutuum iuxta l. 126. in f. de V. obl.* Unde quoque easdem qualitates vtrumque negotium habere debet. Quod si species indebite soluta, instar *commo- dari* censetur, & cum hoc omnium confessione b. f. sit, conditio indebiti etiam in casu adducto debet b. f. esse. Equidem *vsuræ* in *conditionem indebiti* non veniunt, *l. 1. C. cond. indeb.* non tamen ideo, quod sit *stricti iuris*, quia ne quidem in eo tale negotium adest, in quo aliquid expresse inter partes actum; sed quod *ex bono & æquo* id tantum restituat debitor, quod accepit, quia in eo demum locupletior factus intelligitur, quod secundum *l. 14. de cond. indeb.* vnice in hac actione considerandum ponderandumque est.

& ex condi-
tione inde-
biti.

Actio ne de
eo quod cer-
to locum lo-
cus erat in
senebri,

non in omni
mutuo,

§. IX. Duo vero omnino sunt, quæ interpretes iuris ad propagationem communis sententiæ induxerunt, quorum alterum ab *vsuræ* non aliter, quam ex *stipulatu* in mutuo debitis; alterum a natura *actionis de eo quod certo* petitur. A posteriori incipiam, ostensurus non de omni *mutuo*, sed de *senebri* id potissimum intelligendum. Constat videlicet ex *l. 6. de eo quod certo loco*, etiam *arbitrarie* actioni locum esse *posse* in *mutuo*, quæ alias in *bonæ*

bonæ fidei iudiciis exulabat iuxta *l. 7. de eo quod certo loco*. Apertum vero est, mutuum fuisse duplex vel *usurarium* vel *non-usurarium*: hoc quidem *rarius* in commerciis Romanorum, illud *frequentius* obtinebat, & quidem maxime tunc, si pecunia mutuo sic data, vt *certo loco redderetur*, quale mutuum in *cit. l. 6.* desideratur. Hoc enim imprimis negotiationibus *conuenientissimum* erat, vt alibi pecunia redderetur, quam quo data erat, prout etiam hodie inter mercatores *usitatum* est. Tale mutuum autem vix concipi poterat sine *usuris*, adeo, vt quia apud Romanos mutuum regulariter *usurarium* erat, fere *ubi-que*, *ubi* mutui fit mentio, *senesbre* intelligatur, cum vox absolute posita intelligatur in eo significato, qui *usitatus* & *frequentissimus* in commerciis hominum est, prout etiam obseruat SALMASIVS de *usuris c. 5. p. 100. seqq.* Quia vero si *certo loco*, si *cum usuris* pecunia mutuatia reddenda, conuentione opus erat speciali, eueniebat, vt vel *stipulatione* vel *litterarum obligatione*, totum negotium perficeretur, vt *l. 40. de reb. cred. l. 126. §. 2. de V. obl.* docent, tum vt *usuræ* recte peti possent, quæ demum ex *stipulatione* debebantur; tum vt de *loco* euidentissime constaret, vnde creditor non nunquam captabat commodum. Hoc quoque obseruat SALMASIVS *cit. l. p. 115.* aitque: *vbi stipulatio erat necessaria ad usuras petendas, tum quoque mutuum dantes idem stipulari solebant cum usuris, vna quidem stipulatione, in qua tamen duæ essent, quia duæ summe in stipulatum deductæ, cuius duplicis stipulationis fit mentio in l. 8. de eo quod certo loco, quæ tamen, ratione modi, vna obligatio dici potest, iuxta l. 126. §. 2. d. V. obl.* Denique exemplum ab AFRICANO in *cit. l. 8.* propositum docet, secundum communem forenses usum, *vbi mutuum certo loco soluendum erat, stipulatione opus fuisse, quæ nihilominus ex causa sua, cui accedebat, mutui vel pecunie creditæ appellationem retinebat, vt ipse AFRICANVS cit. l. indigitat.* Facile ergo liquet, ita ex *accidente*

C

accidente

cidente factum fuisse, ut mutuum stricti iuris naturam indueret, quod in contractum nominis vel stipulationis deductum, & ita arbitraria actione opus esset. Equidem non diffiteor, potuisse etiam citra stipulationem, locum adiacere numerationi, ut indigitat l. 7. de reb. cred. id vero, quia periculosum, minus vltatum erat, imo ubi stipulatio interueniebat, adhuc cautio accedere solebat, ob difficultatem probandi, ut tot iurium Romanorum loca indigitabant. Par ergo est credere, non de omni, sed de tali mutuo, certo loco soluendo, POMPONIVM locutum fuisse, prout ex more Romanorum iniri solebat, h. e. si ob stipulationem vel contractum nominis stricti iuris esset factum.

Vfuræ in mutuum non veniebant, quod esset negotium gratuitum.

§. X. Ad alterum progredior, quod primario huius loci & nostræ considerationis est. Obseruarunt videlicet Icti solidioris doctrinæ, mutuum cum commodatio in hoc conuenire, quod sua natura gratuitum fuerit, indeque factum, ut vfuræ non aliter, quam ex noua obligatione peti potuerint. Id plurimis argumentis exornat SALMASIVS de vfar. c. 1. & 5. simulque indigitat, mutuum in hoc accipi & dici, ut mutuum in restituendo fiat a voce sicula *μῶτρον*, quod *gratis* denotat, vnde latini antiqui suum *mutare* sumplerunt, pedetentim in *mutare* & *mutuare* transmutatum. Aequè enim est officium amicitiae mutuum, ac quidem commodatum, & sic vtrumque gratuitum. Id indigitat NONIVS, antiquus grammaticus: *mutuum a fenore in hoc distat, quod mutuum sine vfaris sumitur, & est accepti fenus: vnde & fenus dictum est, ut græce τὸν, quasi partus mutui summi.* PLAVTVS *Afinar.* nam si mutuo non potero, certum est, sumam fenore. *Vnde honestius mutuum est, quod sub amico affectu fiat, rament vsu temporis necessari fenore sumere decet.* Vnde liquet, 1) ad officia amicitiae ab antiquis relatum mutui ab amico dationem, & sic sua natura gratuitam fuisse, adeo, ut vfaris a quocumque alio promissis praestitis.

fritisque magis nomen *favoris* induerit. Huc PAVLVS collineat in *l. 8. in quibus caus. pign. vel hypot. tac. contr.* vbi *pecuniam* dicit esse *gratuitam*, si de vsuris nihil fuit actum, prout natura mutui postulabat. 2) Ex hoc principio colligebant Romani, decem datis, non posse conueniri, vt viginti mihi debeantur, adeoque vltra decem non nasci actionem: *re enim*, ait ICRVS in *l. 17. pr. non pot. est obligatio contrahi, nisi quatenus datum sit.* Idem repetitum lego in *l. ii. §. 1. de reb. cred.* quæ ne quidem leuissimum in mutuo qua tali admittit augmentum: *Si tibi decem dedero sic, vt nouem debeas, Proculus ait, & recte, non amplius te ipso iure debere, quam nouem. Sed si dedero, vt undecim debeas, putat Proculus, amplius, quam decem, condici non posse.* Ratio diuerfitatis erat, quod primo casu mutui naturam haud mutaret pactum, vt minus redderetur, sed augebat, & magis gratuitum negotium efficiebat; altero vero substantiam eius prorsus mutaret, & ex negotio gratuito efficeret onerosum atque non-gratuitum, quod iura haud permittunt. Sicuti enim essentia rerum *naturalium*, ita & *moralium* instar numeri sunt, cui si aliquid addas aut demas, non manet idem numerus, sed alius fit. Pariter & *contractus* inter gentes determinatam suam naturam atque substantiam acceperunt, quam pactis immutare non licuit, vt idem negotium maneret, sed vel aliud inducebatur, vel pacto vis omnis deerat. Cape exemplum ex eo quod *mutuo* affine est. Si tibi commodauero ædes, vt post annum easdem mihi reddas cum centum aureis, asseri nequit, me commodatum iniisse cum pacto *adiecto* centum aureorum, quippe quod naturam commodati prorsus destruit, efficitque, vt *commodatum*, quod aliter concipi nequit, nisi gratuitum fuerit, esse nequeat. Ista conuentio vero indigitat, falso *contractus* nomine negotium designatum, & non *commodatum*, sed *locationem* imitam fuisse, quæ *onerosam causam* constituit.

Pactum, vt
vsura in mu-
tuo praesta-
rentur, ineffi-
cax erat.

Ratio Nood-
tii reicitur.

§. XI. De *mutuo*, quod pariter *gratuitam* acceperat *naturam*, idem iudicium ferendum, licet diuerso eum effectu. Si enim in *numeratione pecuniae* hoc actum erat, vt plus redderetur, quam acceptum erat, pactum hoc inutile erat, quamuis alias in *traditionibus rerum*, quodcunque pactum sit, valuerit iuxta *l. 48. de pact.* quippe quod de iis intelligendum, quae naturam negotii non destruunt, vt si *tempus, locus, vel conditio* numerationi addatur. *l. 7. D. de reb. cred.* Inutile vero profus erat, quia illud, quod pacto adiectum erat, ex natura *mutui* peti non poterat, quod non admittebat augmentum; nec in alium contractum incidebat, qui deerat, cum *locatio* rebus fungibilibus minime conueniret, adeoque tale pactum *nudum* manebat, vnde non dabatur actio. Inde nata regula forensis: ex pacto nudo non deberi *pecuniae mutuaticiae* vsuras. Aliam, & quidem hanc suppeditat rationem Clariss. NOODT. *de pact. & transact. c. 12.* quod mutuum sit negotium *stricti iuris*, cui a parte actoris pactum haud inesse creditur ad effectum, vt inde agi queat. Ait: *pactum mutuo in continenti adiectum, si quid addat obligationi, non valet ex parte actoris, itaque nudum manet, & nullius momenti est.* Ita quoque AVLSIVS *cit. l. & cum eo plerique interpretum.* Neque tamen haec ratio inconcussa & sine omni contradictione est. Generaliter PAVLVS in *l. 40. de reb. cred.* ait: *pacta in continenti facta stipulationi inesse creduntur, quae verba quidem restringere conantur ad pacta detrahentia, exemplo ex cit. l. §. f. de pacto adducto, vt reus inde excipere queat, non vero augmentia sub illis comprehendi censent, vt etiam inde agi queat.* Praeuidit doctissimus NOODT *cit. l.* tamen nodos, qui huic distinctioni resistunt, quod verba illa laxiora sint, quam vt patiantur se restringi ad *pacta detrahentia*. Quid enim si *modus, si locus, si tempus* adiecta stipulationi, annon inest tale pactum stipulationi? *stipularus creditor est, sibi dari centum aureos, & statim pacto*

pacto placuit, vt Capuæ soluerentur; sine dubio ex hoc pacto Capuæ agi potest, æque ac si locus stipulationi infertus esset. In mutuo id multo magis obtinere debuit, quod ne quidem stricti iuris dicendum, adeoque pactum, vt certo loco redderetur, mutuo vel ideo inerat, quod naturam eius haud destrueret. *l. 4. de eo quod certo loco. l. 7. de reb. cred.* E contrario si pactum destruebat stipulationem præcedentem, inesse ei non poterat, vt-pore si decem aureis in stipulationem deductis, in conti-nenti placuit pacto, vt vel viginti, vel sedecim debe-rentur, quia tali pacto prior stipulatio in decem conce-ptra prorsus corrumpitur, & alia prorsus fit conuentio, quæ tamen cum nuda sit, nihil operatur. Id indigitat VLPI-ANVS in *l. 1. §. 3. de verb. obl. Cum adiicit aliquid vel detra-hit obligationi, probandum est, vitiatam esse obligationem: nisi stipulatori diuersas responsionis illico placuerit, quod inde liquet, si de noua illa quantitate interrogauerit de-bitorem, tunc enim alia stipulatio, contracta esse videtur.*

§. XII. Enimuero ne sic quidem omnes scopuli Ratio dubi-
superati sunt. Depositum sua natura gratuitum est, & tandi remo-
tamen vsuræ in eo, per pactum adiectum promissæ, de- in deposito
uentur, quod non tantum Ictus in *l. 24. D. depositi*, sed ad- in deposito
huc euidentius in *l. 26. §. 1. eod.* confirmat adstruitque. vsuræ ex pa-
Præmittit *cit. l.* conuentionem de vsuris ex pecunia de- ctur, non ta-
posita promissis, & addit: *Paulus respondit, eum contra- men in mu-
tum, de quo queritur, deposita pecunia modum excedere, tuo.*
& ideo secundum conuentionem, vsuræ quoque actione depo-
sui peti possunt. Quid ergo? annon etiam vsuræ pecunie
mutuaticie peti possunt, si hæc lex numerationi data est?
Id negarunt Icti Romani, & quidem meo iudicio re-
ctissime negarunt. Ratio diuersitatis est, quod vtrum-
que negotium sit quidem gratuitum, sed diuerso respectu.
Mutuum gratuitum est, intuitu accipientis, depositum re-
spectu dantis. Cuius gratia ergo gratuitum est, eius in-
tuitu contractus immutari nequit. Fac, me deposuisse
C 3 apud

apud Caium cistam hac conuentione inita, vt pro custodia acciperet decem aureos: non amplius est *depositum*, cum conuentio hæc aliud prorsus negotium inducat, locationem scilicet & conductionem *l. i. §. 8. & 9. depos.* licet vel maxime contrahentes per abusum vtantur appellatione *depositi*, qua *depositi* natura, quæ respectu *dantis* debet esse *gratuita*, prorsus destruitur. Cæterum si accipiens vsuras promittit in *deposita pecunia*, facilius hæc conuentio sustinebitur, vt maneat depositum, cum, respectu *dantis*, negotium nihilominus manet *gratuitum*, licet respectu *accipientis*, vltra naturam depositi quid præstandum sit, qua non æque natura *depositi* prorsus destruitur. Longe diuersum iudicium ferendum de *mutuo*, quod respectu *accipientis* esse debet *gratuitum*, utpote cui *gratia* & *beneficium* præstatur. Vnde si placuit, vt minus reddatur, valet conuentio, quia respectu *accipientis* adhuc manet beneficium & negotium plusquam *gratuitum*, licet intuitu *dantis* quid mutatum fuerit: si vero conuentum est, vt *plus* redderetur, non subsistit ea conuentio, quatenus plus reddi debeat, quia ea ipsa substantiæ mutui vis infertur, quam rationem diuersitatis haud obseruauit *noodr. cit. l. vbi* hoc dubium mouit, sed non remouit, quin potius in rem suam, ex præconcepta opinione, traxit. Ita vero fati liquet, quam ob causam pactum de *vsuris*, aliis negotiis inesse queat non æque *mutuo*, cuius naturæ repugnat, adeoque ei inesse nequit. Si non inest, *seorsim* & *extra mutuum* considerandum est, quo respectu *nudum* semper manet, vnde iure Romano inter ciues Romanos non data fuit actio.

Inde necesse erat, vt vsurarum nomine, specialis obligatio contraheretur.

§. XIII. Hac iuris civilis philosophia supposita, palam erat, vsuris non aliter in *mutuo* locum fuisse, quam *stipulatio* de vsuris soluendis adiecta *mutuo*, vel stipulatio de vtroque negotio h. e. *mutuo* & *vsuris* concepta fuisset. Et hoc est, quod POMPONIVS in *l. 121. de V. S.* ait, vsuras *ex alia causa* deberi, id est, *ex noua obligatione*, que est

est ipsa stipulatio. Defuit enim aliud speciale negotium, ad quod mutuum usurarium referri potuit, postquam rei Romanæ haud conueniens visum fuit, *fenus*, quatenus mutuum cum *usuris* designat, in peculiarem contractum trahere, & nouum aliquod negotium inde conflare, quippe quod odiosum & minus populare fuit. Si in commo- dato & deposito merces præstatur, aliud in promptu erat negotium, in quod non -gratuitus *usus & custodia* incideret. Ergo mutuum per se subsistere poterat, & usurarium debitum itidem suum peculiarem nexum habebat. Distinguebant tamen Romani, utrum super vel mutuum mutuo & *usuris* simul interponeretur stipulatio, subsecu- ta numeratione, quo casu intuitu *causæ debendi* vna erat obligatio, *verborum scilicet*; l. 126. §. 2. de V. O. licet duæ essent stipulationes. l. 8. de eo quod cert. loco. Si præcedebat numeratio, sequebatur stipulatio de *usuris* soluendis, non recedebatur a naturali obligatione, sed fors debebatur ex mutuo, *usuræ ex stipulatu. cit. l. 126.* Ratio diuersitatis in aprico erat, quod priori casu numeratio præcedentis stipulationis implementum esset, quæ posteriori negotium mutui ipso numerationis actu perficiebat. conf. l. 23. de except. rei iudic.

obligatio
inchoat
stipulatio

vel mutuum
usurarium in
stipulatio-
nem conice-
retur.

§. XIV. Vnicum adhuc superest telum, quo gra- uissime peti & impugnari solet doctrina hæcenus expo- sita, qua euictum, mutuum esse contractum b. f. In con- tractibus b. f. *usuræ ex mora*, citra ullum debentur pa- ctum, officio iudicis; l. 17. §. 4. de *usur. l. 32. §. 2. l. 34 eod. l. 2. C. depos.* non item in mutuo, certissimo, vt volunt, in- dicio, illud est *stricti iuris*. Equidem doctrina adducta satis vera, sed consequentia fallit, vt statim indicabo. Ante omnia hic commendari meretur solida obseruatio NODDII de *usur. c. 6.* vbi obseruat, constitutionibus im- peratorum id demum effectum fuisse, vt *ex mora* etiam deberentur *usuræ* in negotiis b. f., vt vel l. 24. D. *depos.* demonstrat, quamuis LABEO forsan primus fuerit, qui hanc

Ex mora non
debentur
usuræ in mu-
tuo,

cuius ratio
decidendi
traditur.

hanc *innouationem* introduxerit, non tamen ab omnibus approbatam. *l. 60. pro soc.* Hæc tamen doctrina non potuit trahi ad *mutuum*, quod cum ne quidem ex *pactio*, quod alias bonæ fidei negotiis inest, reciperet vsuras, multo minus easdem recipere ex *mora* potuit, quia natura *mutui* hoc modo prorsus destructa fuisset. In cæteris negotiis b. f. vsuræ ex *mora* præstari & adiudicari poterant, *saluo negotio*, vt in *deposito* & *mandato*, quod nihilominus vtrumque respectu *deponentis* & *mandatis* maneret gratuitum. Ast *mutuum* non mansisset *gratuitum*, si debitor ex *mora* vsuras præstare debuisset, & sic substantiam suam æque amisisset, ac quidem *depositum* & *mandatum*, si deponens & mandans se adstrinxit ad *mercedem* soluendam, quacum conueniunt prorsus vsuræ, quæ sunt *merces pecunie*. Nec muto sententiam, si quis obiiciat, quod mandans etiam teneatur ad *vsuras* ex *mora* ob impendia in expeditionem mandati facta, cum tamen mandatum, respectu mandantis, sit *gratuitum*. *l. 12. §. 9. mandat.* Nam in mandato *duplex* est obligatio, vnde etiam *duæ* emergunt *actiones*. Principaliter obligatio concernit *mandatarium*, qui si accipit *mercedem* a mandante, non amplius est *mandatum*, sed aliud negotium. Secundaria obligatio concernit *mandantem*, qui generatim ad *indemnitatem* tenetur; ne alioquin officium mandatario damnosum sit. Id vero euidentissime fieret, si nummos suos in administrationem domini verteret mandatarius, nec tamen, vel ob *moram*, vel ob *vsuram* ei deberentur vsuræ. Non ergo desinit *mandatum* esse *gratuitum*, quia *pro officio*, quod præstat, nihil recipit, interim tamen, æquitate suadente, indemnus seruandus. Ast in mutuo duntaxat *una* est *obligatio*, quo totum absoluitur *negotium gratuitum*, quæ si *vsuras* ex *mora*, vel propter *vsuram* reciperet, prorsus desineret esse *gratuitum*, & aliam induceret naturam, quod admittere noluerunt Romani, admodum in finibus contractuum seruandis solliciti. Neque

que vero ideo *stricti iuris* dici potest, quod *stricte* natura huius contractus custodita fuerit; id enim *stricte* quoque in *commodato* factum est, & *deposito*, cautumque, ne ex pacto quidem reciperent mercedem, quæ tamen sunt *bonæ fidei*. Qui *stricte* fines negotiorum obseruandos constituit, propterea haud adstruit negotium *stricti iuris* esse.

§. XV. Ex *accidenti* tamen contingere poterat, vt Ex mora de-
ex mora etiam deberentur *vsuræ*, quemadmodum in cer- bentur *vsuræ*
tis quoque casibus exceptis, ex pacto præstandæ erant. in anti chresi,
Vtrumque paucis declarabo. Prius eueniebat in *anti-
chresi*, vel *expressa* vel *tacita*, quatenus pactum vel *expres-
sum* vel *tacitum* pignori accessit, de fructibus ex *pignore*
percipiendis, in vicem *vsurarum*. Hoc pactum pignori
inesse supra dixi, adeo, vt si pignus non sit frugiferum,
nihilominus tamen, per modum *retentionis*, *vsuræ* pacto
promissæ, seruari queant. l. 4. C. de *vsur*. Quid ergo, si
fundus pignori traditus, & debitor in mora soluendi de-
biti fuerit? Fac, debitorem fundum, postquam satus &
rastro subactus, h. e., mense Octobris, ad quatuor tantum
menses pignori dedisse atque promississe, elapso ho-
rum mensium spatio, se mutuaticiam pecuniam restitutu-
rum esse. At, debitor in *mora* est: vltra sex annos differt
solutionem: fundum interim pignoratim creditor retinet,
fructusque, de quibus nihil *expresse* actum, percipit: in-
terim *vsuræ* nullæ promissæ, adeoque vrget debitor, vt
fructus quoscunque perceptos restituat creditor; quæritur:
quid de *fructibus* censendum? Respondet PAVLVS in
l. 8. D. in quibus *caus. pign. vel hypot. tac. cum debitor gra-
tuita pecunia vtatur*, potest creditor de *fructibus rei sibi pi-
gnoratæ ad modum legitimum vsuras retinere*. Postquam
enim debitor in *moram* consentit, consentire videtur
in *fructuum* ex pignore *perceptionem*, quamuis ab initio
pecunia gratuita data fuerit, & ad id tempus fundus pi-
gnoratus, intra quod nulli ex eo percipi poterant fru-
ctus.

vt etiam ex mora.

ctus. Multo magis ergo hoc dicendum, si expresse conuentum, vt fructus in vicem vsurarum creditor perciperet. *l. 14. l. 17. C. de vsur.* Vtroque casu pactum inest contractui pignoratitio, & operatur exceptionem retentionis, quamuis quodammodo indoles pignoris eo ipso alteretur. Debentur vero hoc casu rursus vsuræ ex noua obligatione, h. e. non ex mutuo, quod gratuitum est, sed ex pacto, contractui pignoratitio adiecto, quod eius naturam & substantiam non destruit.

Præterea ex pacto in mutuo debentur vsuræ 1) ciuitatibus

§. XVI. Alterum superest membrum, de vsuris ex pacto valide debitis. Huc pertinent 1) ciuitates, iuxta PAULI sententiam in *l. 30. de vsur.* Etiam ex nudo pacto debentur ciuitatibus vsuræ creditorum ab eis pecuniarum.

2) creditoribus frumenti,

Pactum hoc non tam adiectum censeripoterat, quam nudum, quia obligatio vsurarum extra mutuum erat, ipsa autem mutuo inesse non poterat, adeoque manebat nudum, lege tamen specialiter confirmatum 2) mutuum frumenti & tritici, ALEXANDRO teste in *l. 12. C. de vsur. frumenti vel bordei mutuo dari accessio etiam ex nudo pacto præstanda; quod in agriculturæ usum extra ordinem receptum est. 3) nauticum fœnus iuxta l. 7. de nau. fœnor.*

3) vel pecunie traiectionis,

vbi SCAEVOLA ita: in quibusdam contractibus etiam (ex pacto) vsuræ debentur, quemadmodum per stipulationem. Nam si dedero decem traiectionia, vt salua naue sortem cum certis vsuris recipiam, dicendum est, posse me sortem cum vsuris recipere. Hoc casu vsuræ magis periculi pretium sunt, quod pereunte naue, fors amissa fit, cuius periculum creditor in se recipit. *l. 3. & 5. D. eod.* Vnde in aliis speciebus idem obtinet, vbi creditor periculum pecunie mutuatitice suscipit, vt rursus SCAEVOLA obseruat in *cit. l. 5.* 4) fœnus argentearium, quod iuxta nou. 136. c. 4. sine stipulatione ex pacto deberur.

argentearii.

Diuersa est iuris canonici doctrina, vsuras pro-

§. XVII. Atque hæc quidem fuit doctrina iuris ciuili, de vsuris pecunie mutuatitice. Ad ius canonicum transiitum facio, quo vsuræ in mutuo non tantum prorsus da-

mnata, sed seuerissimis censuris prohibita fuerunt. Nec defuerunt inter gentiles philosophos, qui eas atro carbine notarunt, aliis tamen eas probantibus, inter quos fuit CICERO, teste LACTANTIUS *lib. 1. de fals. relig.* vbi ita: *Nam de legibus, quo in opere Platonem secutus est, leges ponere voluit, quibus putaret, usuram esse iustam.* Hac probatione atque demonstratione haud opus fuisset, si omnium philosophorum eadem mens fuisset. CATONEM, ARISTOTELEM SENECAMQUE vsuras reprobasse, certum est, quorum loca adduxit NOODT *de usur. & fœn. lib. I. c. 4.* CICERO quoque *lib. II. offic. c. 25.* CATONIS sententiam enarrat atque: *Ex quo genere comparationis illud est Catonis senis: a quo cum quereatur, quid maxime in re familiari expediret, respondit, bene pascere. Quid secundum? satis bene pascere. Quid tertium? male pascere. Quid quartum? arare. Et cum ille, qui quaesierat, dixisset, quid fœnerarium Cato, quid hominem, inquit, occidere.* Ita censuit CATO, fœnori admodum deditus & auaricia fordida affluans, adeoque ipsa praxi a sua doctrina alienissimus, more plurimorum, qui aliter viuunt, aliter docent. Interim leges ipsas, circa vsuras latas in foro ciuili, non impugnabant, sed eas tantum officio boni viri haud conuenire credebant.

sus impro-
bans.

quod etiam a
quibusdam
philosophis
factum.

§. XVIII. Patres vero, postquam in comitiis sacra leges condere, censurasque prohibitis negotiis imponere cœperunt, in sola doctrina, qua vsuras improbarunt, non subsisterunt, sed vim externam ei in foro suo addiderunt, primo quidem intuitu clericorum, mox etiam laicorum. Iam seculo III. CYPRIANUS *de lapsis*, hoc vitio dedit sacerdotibus, quod argentum largiter habere, fundos infidiis fraudibus rapere, vsurisque multiplicantibus fœnus augere studeant, & hoc ipso publica auaritiæ suæ argumenta ederent. Quocirca passim clericis sub pœna depositionis interdictæ. In Canon. *Apost. c. 36.* ita cautum: *Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui vsuras exigit,*

Patres pro-
fus damna-
runt vsuras
sub pœnis,

imprimis
quoad cleri-
cos,

in concil. Eli-
berit. & quo-
ad laicos,

fed reliqua
concilia in
prohibitione,
quoad cleri-
cos substitu-
erunt,
vt Nicænum,

ab iis, qui mutuo accipiunt, vel cesset, vel deponatur, vnde antiquioris disciplinæ praxis colligi potest, licet certum sit, hos canones post concilium Nicænum collectos fuisse. conf. c. 1. D. 47. Enimvero in concil. Eliberitano anno 313. in Bætica habito c. 20. apud HARDVINVM tom. I. concil. p. 252. & GRATIANVM c. 5. D. 47. latius, etiam ad laicos, extensa prohibitio de vsuris non accipiendis: *Si quis CLERICORVM detectus fuerit vsuras accipere, placuit eum degradari & abstinere. Si quis etiam LAICVS accepisse probatur vsuras & promiserit, correctus iam se cessaturum, nec ulterius exacturum; placuit ei veniam tribui. Si vero in ea iniquitate durauerit, ab ecclesia esse proiciendum.* Ita generatim vsurarum exactio & promissio delictis ecclesiasticis annumerata, quamuis tantum intuitu Bætice: generalis lex ecclesiastica defuit, adeo, vt ne quidem in concil. Nicæno c. 17. anno 325. ultra clericos prohibitio fuerit extensa. v. c. 2. D. 47. c. 8. c. 14. q. 4. Aiunt patres: *quoniam multi sub regula constituti auaritiâ & turpia lucra sectantur, oblitique diuinæ scripturæ dicentis: qui pecuniam suam non dedit ad vsuram; mutuum dantes centesimas exigunt: iuste censuit sancta & magna synodus, vt si quis inuentus fuerit, post hanc definitionem vsuras accipiens, aut ex adimentione aliqua, vel quolibet modo negotium transgens, aut hemiola, id est, seiscupla exigens, vel aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratia, deiiciatur a clero & alienus existat a regula.* De specie vsurarum, Hemiolia dicta, pluribus agit SALMASIVS de modo vsur. p. 313. seqq. Quamuis vero aperte liqueat, clericis duntaxat vsurarum fuisse interdidas, faciles tamen sunt iniquissimi vsurarum censores, vt legem vniuersalem inde eruant. In hac sententia fuisse videtur ANTONIVS CONTIVS, lib. II. lect. subseciuar. c. 2. vbi mouet quæstionem *an vsuræ sint iustæ?* redarguitque eos, qui eas defendunt hisce verbis: *qui sane dum in mutuo secundum modum Iustinianea lege datum eam permittunt, & eo locos omnes sacrosanctæ legis, quibus id disertissime inhibetur*

bibetur, detorquent, verendum est, ne non satis cum Nicæna synodo & vetere tota ecclesia consentiant. Qui autem cum ecclesia non consentiunt, heretici dicendi, quorum in numerum CONTIVS retulisse videtur, qui vsuras probant. Ad minimum tamen ex Nicæna synodo exsculpere haud potuit generalem prohibitionem, patribus Nicænis adhuc abinentibus ab eo, quod meri iuris civilis erat, & ad forum spectabat. Etiam in concil. Arelat. anno 314. & Arelatense, sic ante Nicænum celebrato cap. 12. apud HARDVIN. tom. I. p. 265. tantum clericis interdictæ fuerunt vsuræ. De ministris qui senerant, placuit eos iuxta formam diuinius datam, a communione abstineri. Idem repetitum in concil. Carthag. III. anno 397. celebrato apud HARDVIN. tom. I. Carthagin. pag. 369. & GRATIANVM c. 6. C. 14. q. 1. vt nullus clericorum III. amplius recipiat, quam cuiquam quod accommodauerit: si pecuniam, pecuniam accipiat: si speciem, eandem speciem quantum dederit, accipiat; & quicquid aliud tantum quantum dederit. Ita vero locatio quoque prohibita cenferi debet, quia in specie non plus accipere licet, quam quantum datum, quod a rigore non est alienum, quamuis clericos tantum concernat.

§. XIX. Patres vero huius seculi, qui per modum doctrine de vsuris scripserunt, in genere vsuras damnarunt sine personarum discrimine, eiusmodi argumentis vsi, quæ vitio insanabili vsuras infectas representant, vtut patres in comitiis sacris censuram tantum clericis vsuram exercentibus, dictauerint, si Eliberinum exceperis. TERTULLIANVM iam ante CYPRIANVM eas improbasse, liquet ex lib. IV. adu. Marcian. c. 17. AMBROSIVS vero in c. 10. C. 14. q. 4. Si quis, ait, vsuram acceperit, rapinam facit, vita non viuit. IDEM in c. 3. C. 14. q. 3. ex Deut. XXIII. vsurarium illicitam exactionem trahit, ostenditque, quomodo per indirectum vsuræ accipiantur, quod etiam lib. de Tobia c. 3. & in c. 8. D. 47. vterius illustrat; ast in c. 12. C. 14. q. 4. ab hoste, quem occidere licet, vsuras licite accipi posse censet.

Patres tamen in suis priuatis scriptis vsuras in genere damnarunt,

quod seculo
V. quoque
propagatum,

cenſet. Eandem doctrinam eccleſiæ reguſtauit CHRYSOSTOMVS in *Matth. c. 17. homil. 56.* cuius ſententiam retulit NOODT de *uſur. lib. 1. c. 4.* Pariter ſeculo V. eadem doctrina a patribus inculcata eſt, vt liquet ex AVGVSTINI locis a GRATIANO excerptis in *c. 2. q. 1. C. 14. c. 1. C. 14. q. 3. c. 11. C. 14. q. 4.* & HIERONYMI doctrina tradita in *c. 2. C. 14. q. 3.* LEO papa vero in *c. 7. C. 14. q. 4.* & apud HARDVIN. *tom. I. concil. p. 1753.* expreſſius prohibitionem uſurarum deſignat, & nec hoc quoque, ait, *prætereundum eſſe duximus, quosdam turpès lucri cupiditate captos, uſurariam exercere pecuniam & fenore ditescere velle. Quod nos, non dicam in eos, qui ſunt in clericali officio conſtituti, ſed & in LAICOS cadere, qui Chriſtianos ſe dici cupiunt, condelemus. Quod vindicari acruis in eos, qui fuerint conſutati, decernimus, vt omnis peccandi oportunitas adimatur.* Ita peccetentim uſuræ adeo improbatæ ſunt, vt etiam laici illos accipientes *cenſuræ* ſubiecti fuerint. Interim patres eodem modo, vt ad *tit. de diuort. §. 7. p. 333. tom. IV. iur. ecclēſ.* in materia diuortii DN. PRAESES docuit, *leges ciuiles, uſuras permittentes, non impugnarunt directo, quod orbis Romanus gentilium copia adhuc abundaret, & fori ciuiliſ ratio haud permetteret, vt uſuræ eliminarentur.* Enimuero in foro eccleſiaſtico uſuras accipientes ſub cenſuram reuocarunt, modestia ſua longe ſuperantes pontifices ſequentium ſeculorum, qui ipſis *legibus ciuilibus* directo vim intulerunt, eiſque dicam ſcripſerunt, vt paulo poſt explanabitur.

ſaluſ legi-
bus ciuili-
bus.

Doctrina ſe-
culi VI.

ſeculi IX.

§. XX. Sexto ſeculo vterius hæc doctrina propagata paſſim; tamen in conciliis intuitu clericorum tantum inculcata, vt docent *concil. Terraconenſis ſcita in c. 3. & 5. C. 14. q. 4.* Neque ſequentibus ſeculis aliquid in ea laxatum, ſed prohibitio ipſa magis quotidie creuit, vt tot conciliorum canones enarrat, ex quibus præcipuos referam. In *concilio Conſtanti de an. §. 14. c. 17.* apud HARDVIN. *tom. IV. p. 1054.*

p. 1054. cauetur, ne *vsuram accipientibus sacramenta elargiantur, nec cum perseuerantibus in iniquitate communiter cibibus sumatur.* In AHYTONIS episcopi Basileensis capitulis *cit. l. p. 1243. c. 17.* sacerdotibus iniunctum, vt predicarent, ne quis *vsuras accipiat, quia, pergit, valde infidelis & rebellis DELiussionibus est, qui hoc agit: quod omnibus Christianis aequè interdicitum esse dignoscitur, maxime tamen sacerdotibus, qui forma & exemplum fidei omnibus esse debent.* In concil. Paris. 17. de anno 829. c. 53. *cit. l. p. 1328.* magno verborum & argumentorum apparatu hæc ecclesie doctrina denuo inculcatur, & exactio *vsurarum execrabile DEO-que detestabile auaritiæ genus* vocatur, argumentis deductis *ex Exod. XXII. Leuit. XXV. Deut. XV. Ezechiel. XVIII. XXII. Amos. II. Ps. XIV.* Constitutio vero RICULFI episcopi de anno 889. apud HARDVIN. tom. VI. p. 418. c. 17. argumentum inde petit, quod *in Christo simus fra-* seculi X. *res.* Sanctus EDWARDVS in *LL. eccles. c. 22. ibid. p. 990.* sub pœna *confiscationis vsuras prohibuit, voluitque, vt qui fœnus exigeret, pro exlege haberetur.* Neque tantum directo *vsuras exigere vetitum, sed præterea ipsa anticbre-* seculi XII. *sis* quoque damnata in concil. *Turonens. de anno 1063. c. 2.* apud EVND. *cit. l. p. 1597.* sub ALEXANDRO III., quem ten- 1) quod anti- chæsis illi ci- ta sit, *xtum etiam recensuit RAYMVDVS in c. 1. X. de vsur.* quo posito fructus in fortem imputari debuerunt *iuxta c. 8. X. d. vsur.* Pariter in concil. *Lateran. III. de anno 1179. c. 25.* relato ab HARDVINO *cit. l. p. 1683.* & a RAYMUNDO in c. 2. X. *d. vsur.,* auctore eodem pontifice, cautum, 1) ne *vsura-* 2) vsurarii ecclesiasticæ non sepeli- endi, *rii ad communionem admittantur, nec 2) ecclesiasticam accipiant sepulturam, nec 3) oblationes facere possint.* Huic concilio adiecta est *appendix,* nouam collectionem *scitorum ecclesiasticorum* habens, in qua pars XVI. *de vsuris* agit, & plures ALEXANDRI III. epistolæ refert, quarum nonnullas etiam refert RAYMVDVS in c. 4. *seqq. X. de vsur.* Etenim in c. 4. *cit. l. pontifex censet, cum vsurarum crimen vtriusque testamenti pagina detestetur,* dispen-

3) nec dispensationem admittat,

4) sed simpliciter refundendæ,

5) diuenditis etiam rebus vsura comparatis,

6) heredes quoque obligantur,

7) si vel maxime sponte solutæ,

Doctrina feculi XIII.

1) quod nec iudeis permittendæ vsuræ,

2) nec exiuramento debeat,

fationem aliquam super eo fieri non posse. Idem in c. 5. *X. de vsur.* constituit a) vsuras his, a quibus creditores eas extorserunt, vel eorum heredibus, vel his deficientibus, pauperibus erogandas: b) eos tamen qui non habent in facultatibus, unde vsuras restituere valeant, nulla multandos esse poena, cum eos nota paupertatis euidenter excuset: c) possessiones de vsuris comparatæ, esse vendendas, & ipsarum pretia his restituenda, a quibus vsuræ extortæ. Ne quidem hoc permillum, vt ob fidem habitam de pretio res carius vendi queat, prout IDEM decernit in c. 6. *X. eod.* & VRBANVS III. repetit in c. 10. *X. eod.* Ceterum vsurario defuncto, heredes, etiam extranei, vsuras reddere coguntur, iuxta c. 9. *X. b. t.* quod noua iuris ratione sanxit ALEXANDER III. cum alias obligatio ex delicto sit personalissima, nec heredes stringat, nisi in quantum ex delicto locupletiores redditus fuerint. Ne quidem sponte solutas vsuras, etiam omni conuentione cessante, retineri posse censuit VRBANVS in c. 10. *X. de vsur.* si eo proposito mutuum dedit pecuniam, vt plus sorte recipe- ret, cum CHRISTVS dixerit: *mutuum date, nihil inde sperantes.*

§. XXI. Seculum XIII. plures sinit prohibitiones, certo indicio, eo tempore vsuras fere vbique in vsu fuisse. In concilio Auenionensi anno 1209. c. 3. apud HARDVIN. tom. III. concil. p. 1987. denuo excommunicatio in creditores vsuras accipientes decernitur, & c. 4. iudæi vsurarii ab vsurarum exactionibus hoc modo compescuntur, vt Christiani per excommunicationem prohibeantur, eis in commerciis vel alio modo participare, donec ab vsuris abstinerint, quod INNOCENTIVS III in c. 12. *X. de vsur.* etiam sanxit. Hic enim imprimis sollicitus fuit in eradicandis vsuris, ceu c. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. *X. de vsur.* testantur, & quia in morem abierat, vt creditores, vsuras sibi stipulantes, iuramentum exigent de vsuris soluendis, ac de solutis non condicendis, in cit. c. 13. con-

constituit, vt per excommunicationis censuram compellerentur creditores, ab earum exactione desistere, & solutas refundere, *ne de dolo & fraude contingat eos modum reportare*, quo ipso *per indirectum* vis iuramento subtrahita est. Præterea creditores sortem repetentes antea haud sunt audiendi, quam restituti vsuris iuxta *cap. 14. & 17. cit.* vnde liquet, instar cuiusdam *spolii* censeferi exactionem vsurarum. Neque tantum per viam *accusationis*, sed etiam *inquisitionis* contra *manifestos vsurarios* procedi posse decernit INNOCENTIUS III. *in c. 15. cit.* si *clamor publicus* contra eos adsit, quo ex fundamento inquisitiones hic demum primus instituit. Nequidem *naucum sœnus* ob susceptionem periculi probandum esse censuit GREGORIUS IX. *in c. f. X. de vsur.* quod nulla ratione defendi potest. Concilium Lugdunense I. de anno 1243. *c. 13.* apud HARDVIN. *tom. VII. p. 388.* circa *debita ecclesiastica* plenius disponit, ordinatque, ne vnquam debita vsuraria contrahantur, præsertim in *nundinis & mercatibus* publicis. Nec Germania hoc æuo ab vsuris abstinuit, ceu docet *concil. Viennense* de anno 1267. *c. 8. cit. l. p. 583.* vbi refertur, per *Salzburgensem* *provinciam*, rigoroſe vsuras exactas fuisse; quem in finem cautum, vt *laici* excommunicarentur, *clerici* vero suis beneficiis spoliarentur. Addam adhuc alia huius seculi monumenta. Anno 1274. *concilium Lugdunense II. c. 26.* apud *Eundem cit. l. p. 717.* *vsurarum voraginem, que animas deuorat, & facultates exhaurit, compeſcunt*, statuendo, vt si vnuerſitas quædam, h. est, respublica vel ciuitas vsuras permiserit, *interdicti* pœnam mox subeat, vsurarii vero manifesti *testamenti factionem* non habeant. Pariter *concil. Auenionense* anno 1282. *c. 1. ibid. p. 879.* *infelice commercium vsurarie prauitatis, que quasi passim colitur a nonnullis diuitibus & aliis, qui se solo nomine asserunt mercatores, atro carbone notatum, & sub grauissima censura prohibitam.* Idem etiam eodem anno *Turonense concilium cit. l. p. 887. c. 6.*

E

fecit.

3) ad instar
spolii exa-
ctio eorum
haberi de-
beat, etc.

4) in vsura-
rios inquiri
possit, etc.

5) nauticum,
sœnus etiam
reiciendum,

6) quod laici
vsurarii ex-
communi-
candi, clerici
deponendi,

7) nec ciuita-
tes eas per-
mittere pos-
sint, sub pœna
interdicti,

8) vsurarii
testamenti
factione de-
stituti,

9) nec ciuita-
tes eas per-
mittere pos-
sint, sub pœna
interdicti,

10) vsurarii
testamenti
factione de-
stituti,

11) nec ciuita-
tes eas per-
mittere pos-
sint, sub pœna
interdicti,

12) vsurarii
testamenti
factione de-
stituti,

13) nec ciuita-
tes eas per-
mittere pos-
sint, sub pœna
interdicti,

14) vsurarii
testamenti
factione de-
stituti,

15) nec ciuita-
tes eas per-
mittere pos-
sint, sub pœna
interdicti,

16) vsurarii
testamenti
factione de-
stituti,

17) nec ciuita-
tes eas per-
mittere pos-
sint, sub pœna
interdicti,

18) vsurarii
testamenti
factione de-
stituti,

19) nec ciuita-
tes eas per-
mittere pos-
sint, sub pœna
interdicti,

fecit. In *uifitatione prouincie Burdegalenfis* anno 1282. inffituta, hi qui vſuras aecipſſe conuicti erant, eas abiurare coacti ſunt, vt plenius docet HARDVIN. *tom. VII. p. 1018. ſeqq.* conf. MABILLON. *Analect. p. 346. nouiſſ. edit.*

9) quod vſurae abiuranda.

Doctrina ſeculi XIV.

1) quod cautio ab vſurariis præſtanda.

2) palliata vſura non toleranda.

3) indices ſub excommunicationis metu ad vſuras ſoluentis debitorum cogere nequeant.

4) creditores codices rationum edere teneantur debitoribus

§. XXII. Pariter ſeculo XIV. concilium Rauennatenſe IV. rubr. 15. *ibid. p. 1443. anno 1317.* poenas eccleſiaſticas renouauit contra vſuras, voluitque, vt cautio recipere-
tur ab vſurariis, de vſuris in poſterum non recipiendis, id quod plena manu *cit. l.* determinatur. Anno 1355. *conſtitutiones Nicofienſes c. 29. ibid. p. 1705.* plures palliata con-
uentiones, quæ vſuras tegere videntur, recensent, eas-
que compeſcunt, manifeſto indicio, ſicim vſurarum non
potuiſſe extingui, ſed pleroſque variis artibus conſtitu-
tiones eccleſiaſticas eludere ſueuiſſe. Sic etiam in *conci-
lio Vaurenſi de anno 1368. c. 120. apud EYNDEN *cit. l. p. 1833.**
iudices vinculo excommunicationis ſubiiciuntur, qui
ad ſoluendum vſuras debitores adſtringunt, vel eaſdem
reperere prohibent, quod rursus argumentum præbet,
*iudices ciuiles de vſuris ius dixiſſe, nec rationem conſtitu-
tionum eccleſiaſticarum habuiſſe.* Idem antea anno 1312.
in *conciſio Viennenſi* edixerat CLEMENS V. vt liquet *ex clem.
vn. de vſur.* innuitque, ſtatuta paſſim a ciuitatibus de vſu-
ris ſoluendis fuiſſe condita, quorum applicatio ſub poe-
na excommunicationis his prohibetur verbis: *Statuimus,
vt quicumque communitatum ipſarum poteſtates, capita-
nei, reſtores, conſules, indices, conſilarii & alii quibus offi-
ciales ſtatuta huiusmodi de cetero facere, ſcribere vel dicta-
re, aut quod ſoluantur vſuræ, vel quod ſolue, & ſecun-
dum illa ius dixiſſe.* Præterea quoque duo addidit ſin-
gularia ſcita: 1) quod creditores codices ſuos rationum
contra ſe reis edere teneantur, cum tamen, ſuppoſito,
quod

quod vsuras accipere, *crimen sit*, actor reo documenta edere non teneatur, BRVNNEM. *ad l. i. D. de edendo n. 8.* BERLICH. *P. I. concl. 45. n. 17. 2)* quod pertinaciter affirmans, *exercere vsuras, non esse peccatum, velut hereticus* puniendus fit, quo ipso doctrina iuris ecclesiastici inter *articulos fidei* relata est, vt papa eo promptius executionem legum ecclesiasticarum promouere possit, quamuis ne quidem hæc cautela cursum vsurarum sistere potuerit. Nam subsequens feculis in conciliis passim repetita sunt leges ecclesiasticæ contra creditores, vsuras accipientes quod arguit, vsuras in foro ciuili vinculum suum non amisisse, vt liquet ex *concil. Frising.* de anno 1449. apud HARDVIN *tom. IX. p. 1289.* Cameracensi de anno 1586. *ibid. p. 2168. & p. 2180.* Mediolanensi de anno 1565. apud EVNDEM *tom. X. p. 720.* vbi omnes species, quibus vsura inducitur, referuntur, & *p. 738. seqq.* vbi GREGORII X. constitutio occurrit: Mechlinensi de anno 1570. *ibid. p. 1204.* Remensi de anno 1583. *ibid. p. 1301.* vbi *Simonie* æquiparatur: Burdegalensi eodem anno celebrato, *ibid. p. 1370. seqq.* vbi æquiparatur vsurarum exactio *homicidio*, & fundamentum in eo ponitur, quod ex præcepto diuino mutuum debeat esse gratuitum: Mexicano de anno 1585. *ibid. p. 1716. &c.* Edidit etiam LEO X. anno 1517. constitutionem contra iudæos vsurarios apud HVNDIVM *in metrop. Salisb. P. I. p. 183. nouissime edit.* vt alias ordinationes ecclesiasticas non referam.

§. XXIII. Retuli in compendio prohibitiones ecclesiasticas; earumque fata, quæ docent, vsuras ex commercio publico eliminari non potuisse, simulque pontificem cum episcopis sibi eo ipso asseruisse potestatem, iuramentum, quæ maxime in publico commercio continentur, dirigendi atque determinandi. Sicuti vero *commerciorum iura ecclesiastica non sunt, sed magistrarui seculari subiecta*; ita vitio ei verti non potuit, quod iustissimo diuinitatis masculæ restiterit, & quantum fieri potuit,

negans vsuras accipere, esse peccatum, hereticus dici debet

doctrina fidei culi XV. seculi XVI.

Leges ecclesiasticæ tam men vsuras tollere non potuerunt

nec debuerunt

potuit, ius suum conseruauerit. Id quod eo iustus fuit, quod imperantes facile perspexerint, præconcep-
tam opinionem de illicita vsurarum exactione, omni destitui fundamento, ac antiquiora concilia *clericos* duntaxat vel ideo ab hoc commercio exclusisse, quod illis in genere commerciorum vsus cum negotiationibus cæteris interdictus, atque in illos ex imperantium indulto conciliorum potestas fundata fuerit, prout ostendit DN. PRAES. tom. III. iur. eccles. tit. ne clerici vel monach. secul. negot. se immisc. Postquam vero episcopi cum pontifice in communionem imperii assumti sunt, in id vnice incubuerunt, vt principatum suum magis magisque extenderent, iura imperii legitima minuerent, ac eo prætextu vterentur, quod iudicium ecclesiasticorum esset, præcauere, ne peccatum in negotiis secularibus committeretur, quem abusum grauius taxarunt status imperii 1523. in *comitiis Noricis*, oblati oratori pontificio centum grauaminibus, in quibus art. 9. & 10. hoc attentatum notatum est. Inde vero facile colligebant imperantes, pontificem episcoposque id vnice agere, vt prohibendo sub feruissimis pœnis vsuras, secularibus negotiis sese immiscerent, & callido consilio sese in possessione, vel quasi imperii vniuersalis, quam tamen *vi clam*, vel *precario* obtinuerant, sese defenderent, licet facile præuiderent, fulmina sua frustranea fore. Sicuti enim *commerciorum vsus* iuris gentium est, nec inter homines eliminari debet; ita vsurarum praxis, sine quibus commercia concipi nequeunt, per fulmina ecclesiastica tolli haud potuit, quia commercia huc non tendunt, vt quis *gratis*, & ex legibus amoris suum in alterum transferat, sed potius vt *mutuis præstationibus* alter alterius indigentiae succurrat, id quod etiam fit per vsuras debitæ pecuniæ præstandas.

Id tamen effecerunt iura canonica, vt §. XXIV. Euēntus etiam docuit, ipsos clericos vāria subterfugia atque vias monstrasse, quibus quilibet stante etiam vsurarum prohibitione, fructum pecuniæ suæ

ob defectum
fundamenti
prohibitio-
nis.

& pontificis
attentata
contra status
ciuiles,

denique ob
commercio-
rum neces-
sitate.

Id tamen ef-
fecerunt iura
canonica, vt

suæ

suæ quærere queat, quorum quædam difficultate non ca- palliata vsu-
 rent, quædam *meram cauillationem* habent, & vsuras pal- ræ repertæ,
 liatas continent. Posterius apparet 1) in emtione *annuo-* in annuis re-
rum redituum, qui inspecta rei veritate nihil aliud sunt, ditibus,
 quam vsuræ ex pecunia perceptæ. Nomina tantum in
 hoc negotio mutata sunt, non res. Quia enim credide-
 runt, *mutuum* tantum, & quod eius rationem sapit, ab
vsuris liberum esse debere, in locum illius substituerunt
venditionem, in horum vero appellationem *annuorum re-*
dituum, quod negotium tamen, quatenus *onus reale* con-
 tiner, plus nocuit commercio, quam exactio vsurarum,
 vt DN. PRAES. *disp. de præscript. ann. redituum*, obser-
 uauit conf. SCHILTER *de bonis laudemial. §. 28. sqq.*
 Hoc tamen non obstante MARTINVS V. in c. i. *extr.*
comm. de emt. vend. huiusmodi contractum licitum & iuri
 communi conformem esse docuit. Præterea quoque 2) in ficta so-
 idem liquet ex magica & subtili ingenio excogitata ver- cietate,
 borum structura, quibus omne felus ab vsuris deleri &
 abstergi posse, censet ESCOBARVS iesuita, cuius sententia
 relata est a PASCALIO sub nomine ficto MONTALTI in *lite-*
ris prouinc. ep. s. p. m. 186. de quo autore BAYLIVS in *di-*
ction. crit. & histor. sub artic. Pascal. lit. k. commendandus
 est. Præmittit ESCOBAR: *non paruum gratiam a seculari-*
bus inierit, qui quod in fenore noxium, illud resicans, ra-
tionem tamen aliquam excogitari pecuniae quadam colloca-
tione, non minus augenda, quam augetur foenore. Hanc
 gratiam se iniuste patet a secularibus, hac cautela illis præ-
 scripta: *is, a quo mutuo petitur, pecunia, sic respondebit:*
non est mihi pecunia, quam mutuo dem: est tamen, quam
licita ratione colloquem, vt ex ea legitimum mihi redeat lu-
crum: quamobrem si pecunia ea conditione velis accipere, vt
ex ea in commune negotieris, fortasse adduci possum, vt
isto pacto dem: verum tamen quia de lucro faciendo difficile
conuenitur, si tu mihi certum aliquid assignare volueris, fa-
cillius inter nos contrahemus, ac tibi statim pecuniam nu-
merabo.

merabo. Ita verbis lex scripta, non rebus. Nauseant lu-
 crum aliquod, vel *augmentum* in *mutuo*: non nauseant in
 reliquis contractibus, modo *titulo* vel nomine *vsurarum*
 non designetur. Nam ne quidem in aliis contractibus
 vsuras admittunt ex iusta causa, veluti ob *fidem* habitam
 de pretio, vel ob *moram* in soluenda mercede vel pretio
 commissam, c. 10. c. f. X. de vsur. quod ita quasi *mutuum*
 contractum videatur, ad quod omnes *contractus* reducunt,
 in quibus *vsurae pecuniae* aliunde *debitae* petuntur, vt eo
 felicius CHRISTI dogma, *mutuum date, nihil inde speran-*
tes, extendere possint. c. 4. d. vsur. c. 5. X. de em. vend.
 2) in monti- Denique 3) vsuras tegunt in *montibus pietatis*, mensis tra-
 bus pietatis, peziticis analogis, qui in multis Italiae ciuitatibus ad
 pauperes subleuandos constituti esse dicuntur, ab ipso
 pontifice SIXTO IV. approbati. Reuera tamen in his *monti-*
tibus id agitur, vt debitores, pecunia sub vsuris sumta,
 ab inopia temporaria subleuentur. conf. SALMASIVS de tra-
 pezit. sen. p. 586. DOROTHEVS ASCIANVS de *montibus pieta-*
tis. NICOLAVS BARRIANVS de *montibus impietatis*, & MICHAEL
 PAPAFAVA in *decis. contra montes pietatis*, quos duos po-
 stremos tractatus ASCIANVS suo operi subiunxit. Accedo
 ad alteram methodum, quae *difficultate* non caret, quae
 4) in eo quod bant pontifices in c. 9. X. de arbit. c. vn. X. de plus petit. c.
 interest 48. de sent. excomm. Inde factum, vt creditores vsuras si-
 bi promissas, sub nomine *eius*, quod *interest*, petierint,
 quod facile allegare possent, se tantum hoc modo *estimare*
lucrum cessans & damnum emergens. Qui enim pe-
 cuniae suae vsu priuatur, id quod in *mutuo* contingit, ca-
 ret lucro, quod pecunia sua facere poterat, & ita *inter-*
esse recte petere dicitur. Cape exemplum ab ipso CARP-
 ZOVIO lib. II. in *iurisp. consistor. def. 319.* ex sententia cano-
 nistarum approbatum. Mutuo dat ecclesia pecuniam sub
 quo fuco vi- vsuris. Quæritur, an licite? affirmat hoc CARPZOV. in
 mutuo eccle- *iurisp. conf. cit. l. n. 15.* & ait: *Nec quicquam iniquitatis rati-*
 lia, *dem*

dem imputari potest ecclesie vsuras petenti, quippe quod eas non ut vsuras, sed tanquam interesse exigere praesumatur, pro cuius probatione prouocat ad PANORMIT. ad c. 8. X. de vsur. Mirandum est, CARPZOVIVM hoc foro vsum fuisse, cum ipsemet vsuras, qua tales, probauerit cit. l. n. i. quibus probatis, nil iniqui ecclesia committit in exigendis vsuris, qua talibus, reiecta larua, qua eas in adductis verbis inuoluit. Vnde non potuit non in Scyllam incidere volens vitare charybdin. Etenim lib. IV. resp. 46. con-

Inde ecclesie tendit, in Saxonia ecclesiis aliisque piis locis in concurrendi, cum hostem, cum fu creditorum, prelationem pra aliis creditoribus debent, vsuris simul tum ratione sortis, tum vsurarum, addita hac ratione, n. 8. in Saxonia quod hospitalia & ecclesie nunquam proprie vsuras, sed debent, con- interesse praesumantur, quae ratio admodum infirma est, tendit, cum apertum sit, ipso fatente CARPZOVIO dicta def. 319. n. 18. & 19. & lib. IV. resp. 50. multum differre vsuras & interesse. Nec ratio adferri potest, cur laicis prohibitum esse debeat eadem uti larua, si ecclesiis haec indulta est, -ni mirag qui tamen in Saxonia vsuras simul cum forte petere nequeunt. Hac eadem larua vitur rursus lib. IV. resp. 49. quo probat, ecclesiis debent vsuras ultra alterum tan- imo ultra al- tum, addita hac n. 7. ratione, quod pia causa vsuras, quam- terum tan- quam de eis conuenerit, non ut vsuras, sed ut interesse petere tum. videatur. Ita quod piis causis licitum est, aliis nefas ex erronea hypothese esse iudicatur. Interim quia plerique vsuras stipulantes hoc fundamento vsi sunt, inde in morem abiit, quia adhuc hodie in iudiciis seruatur, vsuras nomine eius, quod interest insignire, & ita pronunciare: Das Best. das Capital cum interesse morae zu bezahlen schuldig. Rationem huius styli infra ex R. I. de anno 1600. declarabo.

§. XXV. Sicuti vero grauem cladem commercii Interim rationes iuris intulerunt pontifices & concilia, vsuras sub poena excommunicationis prohibendo; ita hoc factum eo iniquius canonicis, vsuras damnantes, censendum, quod rationes, quae pro turpitudine vsurarum partim politicae sunt,

partim in-
anes.

rum allegantur, partim friuolæ & inanes sint, partim etiam sapiant rationem politicam hierarchiæ, quæ etiam sub hac hypothese nouum munimentum accipit. Notum est, iudæis, in vna *republica civili* coadunatis, interdicitum fuisse, ne *inter se* vsuras exercerent; quamuis ab *extraneis* iure gentium, eas petere potuerint, ob commerciorum cum gentibus vsu. Hoc in vsus suos traxit curia Romana, constituitque, ecclesiam etiam esse rempublicam, ex omnibus Christianis coadunatam & conflatam, cuius *caput supremum* pontifex esse censetur. Quod ergo nefas iudicatum fuit in *republica iudaica*, illud etiam nefas habitum est in *republica ecclesiastica*, quæ sub illa, tanquam typo, adumbrata fuit. Vtergo etiam hoc argumento sententiam de *republica ecclesiastica* stabiliret, e re illius fuit, seueris pœnis vsuras prohibere, nec ab hac doctrina vllò recedere modo, quæ facile linqui potuisset, si ratio status ecclesiastici defuisset. Ceteras rationes non referam, nec examini subiiciam, quod ab aliis iam plena manu factum est, imprimis a SALMASIO de *vsur. c. 8. seqq.* NOODTIO de *vsur. lib. I. c. 6. seqq.* & CAROLO MOLINAEO *tr. de commerc. & vsur.* qui dubius quibusuis satisfecerunt, idque eo facilius præstare poterunt, quia nonnulla adduci solent, quæ ne quidem re-spon-sione indigent. Lepida sane & ridicula sunt argu-mentum, quibus utitur VACONIVS a VACVNA *lib. I. nou. declar. ius ciu. c. 14.* & his ostendere conatur, vsuras contra natu-ram exigi, & furti instar esse. Ait: *Sola animantia sibi-similia, natura ipsa, generant: artificiosa vero minime. At homo pecuniarum cupidus efficit, ut nummus, qui animam non habet, nec vegetationem quidem, fœnus, i. e. fetum pro-creet: fœnus autem se ipsum maius facit. in fœnore enim num-mus contra naturam nummum parit, merito igitur reproba-tur -- vsura est contra naturam & hæc est ratio, quam ob-rem est reprobata.* Huic ridiculæ rationi hæc quoque subiicitur: *quod pecunia mutuo data, non amplius eius, qui dedit,*

dedit, sed facta accipientis fuerit. Qui igitur, ait, ex illa pecunia fructum, veluti nummos, seu aliquid aliud accipit, ex re non sua accipit, & est perinde ac si furaretur. Plures alias huius furfuris rationes quoque habet HONORATVS LEOTARDVS in tr. de vsur. qu. 2. quas non tangam.

§. XXVI. Quamuis vero ita euidentis ac manifestum sit, vsuris omne fundamentum deesse secundum ius canonicum, non item palliat; fieri tamen non potuit, vt vsuræ prorsus ex vsu hominum eliminarentur, postquam commercia, hominum saluti maxime inferuentia, deleri funditus atque euerti haud potuerunt, quæ vsuris carere haud possunt. De fati vsurarum in Germania nunc quidem duntaxat sollicitus ero, ostensurus seculo XIII. & XIV., quibus concilia imprimis vsuras damnarunt, earum usum superfuisset, & passim legibus statutariis probatum; præterea vero, quod ius canonicum vsuras quas-cunque reprobasset, ius Romanum autem vniuersaliter haud receptum esset, inde factum fuisse, vt modus vsurarum plerumque incertus fuerit, nisi statuta particularia peculiariter eundem determinassent. Equidem in iure prouinc. Suevic. c. 342. apud GOLDASTVM in Reichs-Satzungen P. I. p. 100., in Meißneriana editione vero c. 340. apud Dn. de BERGER in cod. iuris Alemannici p. 89. iuris canonici doctrina fere ad vnguem repetita, vnde vsus iuris canonici colligi posse videtur; Quis vero nescit, quam imperite & sine iudicio sæpe huius speculi collector quiduis ex quouis consarcinauerit, adeo vt etiam in materia fideiussionis prouocauerit ad rescriptum D. HADRIANI, eumque ex summa ignorantia vocauerit: *Linen Meister, der Hadrian heisset*, quasi litera D. non diuum, sed doctorem vel magistrum designaret, vnde non quæuis ineptiæ in hoc speculo relatæ vltim forenses arguunt. In materia vsurarum idem euenisse, persuasissimum ex tot publicis documentis habeo, quæ vsus forenses illius temporis monstrant. Equidem in capitul. KAROLI M. de an-

capitularia
no tantum clerici

Nec eliminare potuerunt penitus vsuras.

quorum vsus seculo XIII. & XIV. docetur in Germania.

non obstante iure Alemannico veteri,

capitularia
no tantum clerici

cis vsuras
prohibue-
runt.

no 789. repetuntur canones conciliorum, clericis vsuras interdicentes apud BALVZ. tom. I. concil. p. 215. 531. 705. 893. 958. 1125. Porro lib. 2. capitul. c. 38. *ibid.* p. 749. sacerdotes vsuris abstinere iubentur, simulque admonentur, *ut plebes sibi subditas ab eis abstinere instruant*, quod res *doctrina*, non legis erat. Sic etiam lib. IV. capitul. c. 17. *ibid.* p. 796. duntaxat *excessus in vsuris*, ne scilicet *duplum* vel *tripulum* recipiatur (quod ex formulis MARCVLFI infra §. sq. declarari potest), prohibetur, quanquam generalius vsuræ damnentur lib. V. c. 38. *ibid.* p. 833. lib. VI. c. 50. p. 931. lib. VII. c. 53. p. 1038. item in capitul. LOTHARII c. 19. apud EVNDEM tom. II. p. 323. *seqq.* quod non adeo mirandum, quia *capitularia*, quoad maximam partem collecta sint ex scitis ecclesiasticis. Enimvero in legibus Salicis, Ripuariis, Alemannorum, Boicariorum, Saxonum, Anglorum, Frisionum, Burgundiorum, Longobardorum & Normannorum vestigia vsurarum prohibitarum non adeo deprehendi, ut probabile sit, his populis vsuras accipere permissum fuisse.

Praxis vsura-
rum seculi
XIII. & XIV.

§. XXVII. Verum propius accedo ad tempora seculi XIII. & XIV. ostensurus, iuris canonici placita in foris ciuilibus parum fuisse admittenda. Prohibitum hoc tempore fuit, ne iudæis vsurarum exactio lege publica permitteretur. c. 12. 18. X. *de vsur.* Hoc tamen non obstante Argentoratenses in *ordinat. iudeor. de anno 1375.* hæc edixerunt: Item sie mögen auch von allen unsern Bürgern und Bürgerinnen, die unter unsere Stabe sitzen, wöchentlich zu Bucher nehmen, von jeglichen Pfunde zweene Pfennig, von 10. Schilling einen Pfennig, und von 5. Schilling einen Halbeing und nicht mehr. It. Sie sullenent auch niemanne versagen, der unter unsere Stabe gefessen ist, Pfennige auf Pfande zu lebende, umb so viel Buchers ane Geverde, als dafür ist. Possidet DN. PRAES. chartam obligationis sub *ohlagiz* clausula, Argentorati conscriptam ix. kal. Martii 1382. cui in fine hæc adiecta clausula: *Et licebit etiam ipsis creditoribus*

ribus vel eorum heredibus, statim post lapsum dicti mensis huiusmodi, summam pecuniae apud iudeos seu carverisebinos (h. e. creditores vsurarios vid. GANIVS in gloss. voc. Caorcini) super ipsorum debitorum vel eorum heredum ac successorum suorum praedictorum dampnis, vsuris & interesse, iuxta vs & consuetudinem civitatis Argentoratensis accommodare & mutuo recipere. Huiusmodi dampna vsuras & interesse per ipsos debiores & eorum heredes ac successores praedictos, in solidum vna cum sorte principali soluendas & refundendas &c. Anno 1376. ciuitates maxime Sueviae in foedus illud magnum, quod vocarunt den grossen Bund, coierunt, cui etiam paulo post Eslinga certis conditionibus accessit, inter quas etiam haec memoratur: Das die Statte den von Eslingen sullent aufbringen und entlehen 5000. Guldin, daz su die habin nuß uff unser Frowen tag Kerkwihen, der nun nechst kumyt, und was man schadens oder verzinnes von denselben 5000. Gulden gebent wirdt, von demselben unser Frowen tag, der nu negst kumyt ain ganzes Jahr, denselben schaden sullent alle Stette, die in diesem Bunde seyndt, gemeinlich haben. DATT de pac. publ. lib. 1. c. 6. Ut plurimum vsuras appellatione dammorum designarunt, vt ostenderent, se iuste & ex causa optima vsuras soluisse. Hac de causa pignorationes, hoc seculo adhuc permittae & licitae, non tantum ex causa sortis, sed etiam vsurarum, licite fieri potuerunt, quod multis testimoniis chartisque huius seculi h. e. de anno 1301. probatum dedit DATTIVS de pac. publ. lib. 1. c. 16. n. 97. seqq.

§. XXVIII. Euidetiora vestigia occurrunt in tractu antichretico, etiam Germanis anteius Romanum vitato, vi cuius creditori pignus frugiferum datum, cum facultate tamdiu fructus omnes ex illo percipiendi, donec solutum fuerit debitum. Iure canonico hoc negotium etiam reprobatur, quod fructus loco vsurarum percipiuntur c. 4. & 6. X. de pignor. c. 32. X. de iurei. c. 1 2. 8. 16. X. de vsur. quo non obstante, ab antiquis temporibus hoc negotium

Antichretes
hoc tempore
maxime vti-
tate,

VIX

gotium vſitatum & approbatum fuit. Id docet formula MARCVLEI apud BALVTZ. tom. II. capitul. form. 50. p. 463. vbi agitur 1) de pignore rei frugiferæ, quod designat hæc formula: *propterea oppignoro tibi vineam proprietatis mee in pago illo & 2) de fructuum perceptione, donec debitum fuerit redditum, his verbis significata: & quomodo ipſo fructus tantos annos transactos habueris & debito tuo tibi reddidero, cautionem meam per manibus recipiam, ſtipulatione ſubnixæ. Similis fere tenoris occurrit inter formulas Sirmonicas num. 13. ibid. p. 475. Et pro huius merito beneficii oppignoro tibi locellum rem proprietatis mee, nuncupantem illum, ſitum in pago illo cum omni ſua integritate vel ſoliditate. Ea vero ratione, vt quomodo iam dicti anni adimpleri fuerint, & tu fructus ipſius terre per quinque annos tantos exinde collegeris, ego ſupra dictum debitum tuum tibi deſoluam, & rebus meis vna cum cautione mea, de manibus tuis recipiam. Quandoque loco vſurarum operas promittebant, per certos dies in ſingulis hebdomadibus præſtandas, vt monſtrat formula MARCVLEI lib. II. form. 27. ibid. p. 421. quandoque etiam in caſu moræ ſefe adſtrangebant debitores ad duplum reddendum, quo nimium modus vſurarum excedebatur per form. 25. & 26. cit. l. Atque hæc oppignorationum literæ, vulgo Pfandbrieffe, ſæculis maxime illis, quibus pontifices pro eradicando hoc contractu laborarunt, in viridi obſeruantia fuerunt, tum a cæſare & ſtatibus frequenti vſu approbatæ, vt indicant STRAVCH. de oppignor. imper. & III. Dn. GVNDLING de iure territ. oppign. tum etiam in priuatorum cauſis adhibita. Ne quidem ciuitates imperii ab hoc nexu liberæ erant, niſi ſpeciali priuilegio munitæ. Tali rebus ſuis proſpexit Francofurtum ad MOENVM per litteras CAROLI IV. de anno 1360. apud LIMNAEVM lib. VII. iur. publ. c. 16. n. 14. Daß ſie vor uns und des Reichs niemand pfandbahr ſeyn ſollen um einerley Sache, und wollen und ſollen auch wir und das Reich keine Pfandbrieffe über ſie geben, und ob wir Pfandbrieffe über*

Ino in caſu
moræ pœna
dupli.

Exempla antichreſium
ſæculi XIII. &
XIV.

über sie geben, so sollen sie keine Krafft haben. CAROLVM IV. enim non tantum vectigalia, sed etiam ciuitates imperii oppignorasse, docent ALBERTVS ARGENTIN. apud VRSTISIVM tom. II. p. 161. & MUTIVS lib. XXI. chron. p. 155. Ante hæc tempora marchioni Iuliacensi ab imperatoribus oppida nonnulla oppignorata fuisse, docet AVBERTVS MIRAEVS in diplom. Belgic. lib. 1. p. 104. nouiss. edit. in fol. tom. I. p. 220. videlicet 1) oppidum Durense pro 50000. florenis, 2) castrum Werden, vulgo K yferwerth, & telonium ibidem pro 39000. florenis. 3) Scultetia ciuitatis Aquensis pro 12000. flor. 4) oppidum Sintzeghe pro 15000. floren. cum omnibus & singulis eorum iuribus, honoribus & pertinentiis. Confirmauit has oppignorationes p edecefforum suorum CAROLVS IV. anno 1348. cit. l. his verbis: *spondentes & firmiter promittentes pro nobis nostrisque in regno & imperio successoribus, quod p escripta pignora p esato marchioni Iuliacensi ac suis heredibus non auferemus, nec ea cuiunque alii per se obliabimus vel absoluendum vllatenus committimus, imo ea nos vel nostri successores, cum poterimus, debemus absolute, & pro nostra & imperii propria pecunia liberare.* Posterior clausula ideo adiecta, ne imperatores aliis facultatem reluendi dare possent. Idem quoque prospectum in CAROLI IV. literis oppignorationum de anno 1356. apud TOLNER. in hisfor. palat. in append. diplom. p. 110. quæ simul indicant, possessores horum pignorum ab omni rationum de fructibus redditione liberatos fuisse. Alia oppignorationum exempla circa tempora indicata sistunt STRAVCH. de oppign. imper. §. 28. AVCTOR act. Lindaw. p. 485. 491. seqq. BROVWER in annal. TREVIR. ad ann. 1321. ANTON. MATTHAEI de nobilit. lib. 2. c. 12. SCHATEN in ann. Paderborn. ad ann. 1350. 1355. 1366. 1377. 1391. Priuatos etiam idem ius exercuisse, multis documentis de ann. 1385. seqq. probat AVCTOR act. Lindaw. p. 694. quod eo minus in dubium vocari poterat, quia praxis publica imperii id permittebat. Pr eterea etiam hoc vsitatum fuit, vt creditori, qui sortem mutuo

derat, præstarentur vsura, etiam dextantes, iure *feudi*, quo creditor inuestiebatur a debitore tamdiu, donec fors red- dita fuerit, quod SCHILTERVS *ad ius feud. Alemann. p. 135. segg.* duobus documentis illustrat. Denique quandoque fructus fundi oppignorati tantum quoad certam quanti- tatem concedebantur creditori, quo ipso rationibus red- dendis obnoxius erat. Sic comites Helfensteinenses ci- uitati Ulmæ dynastiam suam oppignorarunt anno 1382. hac formula: *versezen auch mit diesen Brieff mit rech- ter nützlicher Pfandsgewehr unsere Herschaft 12.* Eodem anno aliis literis restricta est fructuum per- ceptio ad 12. pro 100, vt hæc formula indicat: *Das aber wir und unsere Erben desto förderlich wieder zu der vorgeannten unserer Erbschaft kommen, und die desto baß geledigen mögen, sie haben uns die vorgeannten Bürgermei- ster Racht und Bürger gemeinlich der Stadt zu Ulm mit gu- ten Willen und mit wohlbedachten Synen und Wuech für uns sie und ihre Nachkommen, solche besondere theure Freundschaft und Liebe erzeigt und gethan, also das Jhn und ihren Nachkommen von den ehe geschriebenen 37000. fl. guter Ungar und Bohem aller jährlich nicht mehr zu be- dingter Münz werden und gefallen soll den 12. von 100. fl. besondere der vorgeschriebenen Summen alle jahr 12. fl. guter Ungar und Bohem und dieselben Gülden des jährl. Zinses und Nußes sollen auch eines jeden Jahres besonder gefallen und verfallen seyn. Hæc conuentio eo tempore eo magis iu- stificari poterat, tum quod limites vsuris non essent præ- scripti, iure *canonico* in totum reprobante vsuras, iure *ciuili* autem nondum vbique recepto: tum quod credito- ri *antichretico* omnes reditus deberentur, multo magis ergo ad certum modum restricti; id quod debitores in- star *beneficii* habuerunt, vt prædicta formula indicat.*

Fundatæ er-
go olim vsu-
ræ fuerunt in
conuentione

§. XXIX. Hæc vsurarum fata per Germaniam ef-
fecerunt 1) vt vsuræ non aliter exigi potuerint, quam
promissæ, siue *palam* siue *occulte* id fieret, veluti per *anti-
chresin*,

chresin, annuos redditus, feudum, vel id quod interest. In quo quidem praxis Germaniæ antiqua cum iure Romano quoad fundamentum conuenire videtur, vt tamen eius longe diuersæ causæ statuendæ sint. Iuris canonici dispositio contra *vsuras*, quod eas penitus per Germaniam eliminare non potuit, id præstitit, vt demum *fide data* exigentur, maxime iureiurando corroboratæ, id quod olim vt plurimum fieri solebat, vt eo arctius debitor constringeretur. Neque enim concilia desinebant, metu fulminis ecclesiastici laicos deterere ab hoc commercio, in Germania admodum vsitato, adeo vt in *concilio Vlmensi de anno 1267.* imprimis prouinciæ *Salzburgensi* hoc vitio datum fuerit, quod tam clerici, quam laici *vsuras* acciperent. *Conf. statuta Salzburg. de anno prædicto apud LYNICH. in cont. 3. spicil. eccles. p. 769. c. 4. item de anno 1490. ibid. p. 774.* vbi adhuc *antichresis*, verum sine effectu, prohibita est. II) Inde quoque factum, vt *vsuræ* ad certam quantitatem publice haud potuerint restringi, si exceptis quædam statuta particularia, temporibus designatis condita. Maluerunt enim magistratus ab huiusmodi legibus abstinere, ne crabrones irritarent, interim tamen ex commerciorum necessitate *vsuras* permitttere, & secundum illas iudicare. (III) Quia vero graues abusus eo ipso committebantur, quod *vsuræ* essent indefinitæ, & tamen ere Germaniæ esse, deprehensum fuit, publicis imperii legibus eas potius permitttere, quam inani conatu eradicare, vtrique remedio publico prospectum est.

sed lege publica non determinatæ,

§. XXX. Etenim (1) *in rec. imp. de anno 1530. tit. 26.* Tandem annui redditus, qui sunt palliatæ *vsuræ*, ad quincunces restricti sunt, contra iuris canonici dispositionem, quo illi maiori libertate gaudebant. 2) Præterea *in R. I. de anno. 1600. §. So viel nun. 152.* & in mutuo cautum, vt in mutuo ob moram *vsuræ quincunces* peti quincunces permisse in casu moræ,

peti possint sub colore eius quod interest, daß nemlich in den vorgefallenen Streit, ob nicht in contractibus mutui, damit die Partheyen in puncto liquidationis an unsere Käyserl. Cammergerichte des langweiligen Processes enthaben seyn möchten, auch jetztgemeldt Cammergericht, damit nicht überladen, ein gewisses loco interesse a tempore moræ zu statuiren und zu setzen, für billig erachtet, wenn der Schuldner in mora restituendi pecuniam mutuam ist, daß er seinen Gläubiger von derselben zeithero (der Vermuthung halber, daß der Creditor sein Geld von solcher Zeit an legen, und zugelassener Weise zum wenigsten von hundert fünf wohl haben möge) das interesse zu entrichten und guth zu machen schuldig, welches wir uns auch also gnädigst gefallen lassen; so ordnen und wollen wir nochmals, daß solch interesse a tempore moræ erstattet, und darentwegen dem creditori s. fl. von hundert bezahlet werden, oder aber dem creditori solche s. fl. nicht annehmlich, sondern er vermeinen wolte, tam ex lucro cessante, quam damno emergente, ein mehrers zu fordern, daß ihm alsdenn sein ganzes interesse zu deduciren, gebühretlich zu liquidiren und zu bescheinen, und der richterlichen Bekännuß darüber zu gewarten unbenommen seyn soll. Hæc constitutio vsuras pecunie mutuatice in casu moræ permittit contra iuris Romani dispositionem. Rationem huius nouæ legis in eo collocarunt proceres, quod verum interesse in quincuncibus deprehendi cenfeatur & præsumtio sit, creditorem post moram potuisse quincunces ex pecunia sua lucrari, annuos redditus, tunc ad quincunces restrictos, emendo. Hoc modo fundamentum vsurarum pecunie mutuatice vnice collocatum in mora videtur, quod ius ciuile non admittebat; eius fundamenti vero, quod ius ciuile assumpt, nulla fit mentio in constitutione prædicta. Vnde denuo lis orta fuit: Vtrum vsuræ etiam ex pacto seu promissione peti possint? Equidem BLYMVS in process. Cameral. tit. 34. n. 105. cenfet.

vt fundamentum vsurarum primario in mora collocatum fuerit, legibus imperii.

cenfet, nunquam vfuras aliter in camera creditoribus ad-
iudicari, nifi a temporæ *mora*, non etiam fi expresse pro-
mittæ sint; id quod tamen vix probabile est. Eadem enim ratio, ob quam in casu *mora* vfuræ permittæ sunt, sub titulo eius *quod interest*, easdem etiam admittit, si pacto expresse promittæ. Imo e tiam in conuentione. Aequè creditor hoc in casu, vt in *mora*, allegare potest, receptis approbatisque annuis redditibus, se potuisse *quincunces* quotannis lucrari ex quantitate centum thalerorum, si eam mutuo non dedisset, adeoque eodem titulo, h. e. eius quod *interest*, sibi illas deberi. conf. RVLAND. *de commiss. P. IV. lib. 6. c. 6. n. 14.* Imo iam ante R. I. de anno 1600. sub titulo eius *quod interest*, maxime a temporibus MARTINI V., annuos redditus probantis, vfuras promiserunt debitores, & inde iustificarunt creditores, quod, mutuo non dato, potuissent numeros suos sub annuis redditibus elocare, & inde quincunces quotannis lucrari, quamuis de eo in iudiciis ex diuersis principiis litigatum fuerit, adeoque hoc vfurarum fundamentum demum extra controuerfiam in dicto recessu constitui debuerit.

§. XXXI. Ad minimum inde liquet, primum fundamentum vfurarum ex pecunia mutuaticia debitarum legitimis imperii in *mora* constitutum fuisse. Alterum fundamentum, quod in *conuentione* constitui, æque per *interpretationem* ex *cit. Rec. I.* deduci posse censui, cum eadem ratio, ex qua in casu *mora* debentur, etiam obtineat in *conuentione* super vfuris inita, adeoque eadem dispositio etiam hic locum habere debeat. Atque secundum hanc sententiam passim iam approbatam dispo-
suerunt imperator & status imperii in R. I. de anno 1654. §. 174. vbi etiam *conuentionales vfuræ* recensentur. Posterius illustratur ex R. I. de anno 1654.
Anreichend die künfftige Zins und interesse, sollen von nun an dieselbige, sie seyn aus wiederkäufflichen Zinsen, oder vord gestreckten Anlehn herrührig und versprochen ic. Mouir
tamen

tamen circa hunc textum dubia *TEXTOR. in diss. XIV. ad dict. rec. §. vi.* censuitque, non simpliciter *vsuras conuentionales* in verbis adductis probatas fuisse, quod textus loquatur, *de mutuo non aliter, quam quatenus ex conuentione contrahentium certus status est solutioni terminus, quo lapsa, quia debitor in mora est, mirum videri non debeat, si hinc obligetur ad vsuras, cum id quadret constitutioni de anno 1600.* Addit præterea: quod si promissæ quidem sint *vsuræ*, non tamen certo aliquo solutionis termino, ibi putamus inspiciendo *ius constitutionum imperii non currere vsuras, nisi a tempore moræ personalis, siue ex quo debitor congrue admonitus est de solutione.* Idque inde erui posse censet, quod dictus §. 174. necessitatem soluendarum *vsurarum conuentionalium* expresse restringat ad tenorem constitutionum imperii per verba: *jedoch nach Ausweisung der Reichs-Constitutionum &c.* Enim vero (I) *cit. §. 174.* generatim loquitur *de vsuris conuentionalibus*, quæ *vsuris ex mora* opponuntur, in qua nulla *conuentione* opus est. (II) Ex nullo indicio apparet, *cit. textum* disponere tantum de mutuo, cuius solutioni *certus terminus* prefixus est, quia huius circumstantiæ nulla iniicitur mentio. (III) Quia *in conuentionalibus* eadem ratio militat, quæ in eis, quæ *ex mora* debentur, expresse approbata est, probabile admodum est, præceres imperii duplex fundamentum *vsurarum* agnouisse in verbis *herrührig (ex mora) und versprochen*, quæ verba recte in *sensu diuiso* accipi queunt. (IV) Prouocatur quidem *in cit. tex. ad constitutiones imperii*, sed tantum quoad *quantitatem vsurarum*, vt verba ipsa declarant: *Jedoch nach Anweisung der Reichs-Constitutionen und weiter nichts als 5. pro cent, alle und jede Jahren in verglichenen terminen, unfehlbahr bezahlet &c.* Hac de causa quoque factum est, vt iuxta plerasque constitutiones provinciales *vsuræ æque ex conuentione*, ac quidem *ex mora in pecunia mutuatica* peti queant, adeo vt ipse

TOR.

Dubia a Textore circa R. I. de anno 1654. mora remouentur.

TOR *cit. l. fateatur*, moribus nostris vsuras deberi a tempore *conventionis*, non tantum a tempore *mora*. Alia fundamenta petendarum vsurarum hodie deficere videntur, æque ac iure Romano, adeo vt cessante *mora* & *conventionis*, illæ ne quidem ob *compensationem vsus pecunie mutuaticie* peti queant, quod *mutuum* sua natura gratuitum sit a parte *accipientis*; quamuis in aliis bonæ f. contractibus, ex hoc fundamento vsuræ debeantur, vt in mandato societate &c.

§. XXXII. Superest, vt de fundamento vsurarum ex *iure Lubecensi*, quod in patria mea obtinet, paucis agam. Hoc iure tantum ex *mora* vsuræ debitæ esse videntur, iuxta *P. III. tit. 1. art. 2.* & quidem hoc modo: Ist einer dem andern schuldig, es sey vom gelehntem Gelde, oder sonst richtig liquidirter Schuld, auf eine gewisse Zeit zu bezahlen, hält er den termin nicht, sondern behält das Geld nach dem Tage bey sich, freventlicher muthwilliger Weise, wird er darum gerichtlich besprochen, so soll er wiederum seinem creditori so viel Geld so lange leihen, als er nach dem Tage gehabt, oder er muß ihm den beweislichen Schaden ausrichten. Secundum hanc legem debitor alternatiue obligatur. 1) Quæritur ergo, cui electio competat? *MEVVS ad cit. tex.* illam tribuit debitori; fateatur tamen in praxi aliud obtinere, quod etiam iuri conuenire credo, quia hæc alternatiua præstatio in *fauorem creditorum*, contra morosum debitorem introducta, ergo eidem quoque electio tribui debet. (2) In præstatione eius quod *interest*, ius hoc se accommodauit ad ius canonicum, sed non in altera præstatione. Censuerunt enim canonistæ ex doctrina *GLOSAE ad clem. 1. de vsur. ad verb. onera* tale pactum esse vsurarium, cum ciuitas vel iudex vel potestas statuit, vt vsuras repetentes cogantur, vsurario pecuniam tanto tempore mutuare, quanto pecuniam vsurarii tenuerunt. *Conf.*

De fundamento vsurarum ex iure Lubecensi.

CORVINVS in *aphor. iur. can. lib. IV. tit. 27. §. 7.* (3) Profluit hæc dispositio ex principiis iuris canonici, vsuras simpliciter damnantis, quod eo magis in ciuitate, quæ commerciis ab antiquo inclaruit, mirandum, cum tamen hæc sine *usura* vix subsistere queant. (4) Quoniam præfatio eius *quod interest* rectius commodis creditoris inferuit, & tamen eius probatio difficillima, quincuntes hodie petere potest, quod iuxta *R. I. de anno 1600.* in his *presumptum interesse* latitare videatur, vt probationem non desideret, quod etiam MEVIUS asserit. Denique (5) quia hodie vbique vsuræ etiam ex sola *conuentione* debentur, quid impedit, quo minus etiam in locis, vbi *ius Lubecense* receptum, illæ peti queant, vt in Pomerania, in qua *hic articulus* ne quidem receptus, teste MEVIO *cit. l. n. 4.* vtur in ceteris *iure Lubecensi* vtantur. Imo crederem, hodie ne quidem Lubecenses ab *vsuris conuentionalibus*, in vniuersum probatis, alienos fore, licet his textus adductus resistere videatur.

T A N T V M.



CLA



CLARISSIMO
DN. CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES

PLurimis scopulis expositum
nodisque inuolutum thema
examine eruditorum publico
submititis, in quo non tantum *prin-*
cipaliter fundamenta usurarum
pecuniae mutuaticiae sub exa-
men reuocas, & obstacula iis
obiecta remoues, sed etiam in-
cidentally in *qualitatem mutui,*

G 3

utrum

utrum *bonæ fidei*, an *stricti iuris* sit,
inquiris, atque prius iuxta doctrinam,
alibi a me expositam, asseris,
argumentisque variis exornas. His
etiam illud addere potuisses, quod
rerum aliarum fungibilium, mu-
tuo datarum, veluti vini, æstima-
tio ex ipso contractu, secundum *l.*
XXII. D. de reb. credit. peti possit,
quod nouum indicium est, mu-
tuum, quatale, *bonæ fidei* esse, quia
æstimatio in negotiis *stricti iuris* ex
ipso contractu, in quo de ea nihil
actum, agi non potuit, sed, quod
probabile admodum est, ea de cau-
sa *condictio Triticaria* inuenta, ut
hic defectus suppleretur, & hac
ipsa ex alio fundamento, quam ex
contractu, æstimatio peteretur. Sed
sine dubio ab hoc argumento stu-
dio abstinuisti, quia *condictionis*
Tri-

Triticariæ verus conceptus in abdi-
to latet, vt vir clarissimus NOODTIVS
ne quidem eius interpretationem
fufcipere aufus fuerit. Sufficere
interim potuerunt illa momen-
ta, quæ in differtatione hac inau-
gurali adducta funt. Postquam
enim iuffu Parentis Tui optimi Te
confuetis examinibus candidato-
riis fubiecifti, ac in his illa, quæ in
mefse hac Academica fedulo colle-
gifti, illuftri ordini ICTorum exhi-
buiti atque oftendifti, Te, vt bo-
num patrem familias decet, non in
vanum laboraffe; fuffragium eius
tulifti, cum decreto, vt etiam pu-
blico examine, quid valerent hu-
meri Tui, monftres. Quem in fi-
nem differtationem hanc edidifti,
& quemadmodum confido, Te a
publico hoc certamine, me mode-
ratore


77
ratore subeundo, non sine laude
discessurum; ita de exantlatis studiis
Academicis Tibi ex animo gratulor,
perseuerantissimumque studium,
in iure quotidie proficiendi,
apprecor, quo ipso & inuidorum,
qui Tibi non deerunt, conatus facile
franges, & iniquis rerum Tuarum
æstimatoribus silentium perpetuum
impones. Dab. e. mus. d.
XXI. Aug. MDCCXXVIII.



Halle, Diss., 1728



f
Sb.





ml
8
1728,36

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE
FVNDA MENTO
VSVRARVM
PECVNIAE
MVTVATICIAE

QVAM
INDVLTV INCLYTAE FACVLTATIS IVRIDICAE
IN
REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE

N. IVSTO HENNINGIO
BÖHMERO ICRO

POTENTISS. REG. BORVSS. A CONSILII IN-
TIMIS PROF. IVR. ORDIN.
TRONO AC FAVTORI SVO OMNI ANIMI SVBMISSIONE
COLENDO

PRO GRADV DOCTORALI

D. XXVI. AVGVST. MDCCXXVIII.
H. L. Q. C.

ERV DITORVM EXAMINI SVBMITTIT
ERM. BERNHARD. WOLFFRADT,
SVNDENSIS POMERAN.

HALAE MAGDEBVRGICAE, STANNO GRVNERTIANO.

1731